This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600014016l

DE JURE HEREDITARIO ATHENIENSIUM

SCRIPSIT

Dr. EUGENIUS SCHNEIDER,
MONACENSIS.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

MONACHII.
CHRISTIAN KAISER.
1851.

221. e. 227.

PATRI DILECTISSIMO

D^RI. EUGENIO SCHNEIDER,

PROFESSORI P. O.

IN UNIVERSITATE LUDOVICO-MAXIMILIANEA

MONACENSI.

TIBI PRIMITIAE!

Quae hic emittitur dissertatio, primitus in peculiarem illum usum conscripta est, ut ordini Jurisconsultorum pro summo honore academico rite obtinendo proponatur. Nunc vero quum eam prodire et publici quasi juris fieri patiar, ne id vanae ostentationi tribuatur opprobriumve inde mihi existat! Id enim solum volui, ut pars quaedam historiae juris hucusque fere neglecta iterum revocetur et ab viris doctis, qui plenioris doctrinae atque sublimioris sagacitatis sint, retractetur. Nunquam animo mihi fingebam, prorsus nova aut ipsa in se absoluta et perfecta me eruisse, sed velim, hanc dissertationem ex origine sua, quae in academico, ut dixi, usu sita est, judicari. Si ea, quae in hoc opusculo aut desiderantur aut mi-

nus recte se habere videntur, ab aliis digna putabantur, ut vel emendentur vel expleantur, et si inde per alios plenior atque verior juris Attici doctrina ortum capiet, tunc illud effecero, quod mihi proposueram et quod solum mihi proponere potueram. —

Quatenus Dii immortales omnium veterum civitatum auctores primique legislatores a mythographis declarantur, Graecorum quoque jus a Diis datum esse fertur; quum autem Graecorum ingenium non sicut immobile Orientis populorum a natura vinctum esset, sed propria eorum natura soluta utique historiam flagitaret, jus primitus divinum una cum historia progrediatur, eodemque historiae progressu nitatur necesse est. Hac ratione jus proprie divinum, quod apud multos Orientis populos nihil aliud nisi Deus ipse permanebat, apud Graecos humanum in tutela Deorum fiebat, et homo, ut Platonis (de legg. I.) verbis utar, παρὰ Διὸς νομοθέτης erat. Graecorum igitur legislatio nobis se offert tamquam hominum libera actione continuata, cui Dii praesunt juris patroni et custodes.

Graecorum vita prorsus publica omnino ad civitatem quasi ultimum scopum tendebat, vitam publicam enim et privatam inter se oppositas apud Romanos demum videmus, qui utilitatem privatam a publica disjungebant; quum igitur hanc severam omnis vitae disjunctionem apud Graecos nusquam reperiamus, jus non ut apud Romanos diligenter terminatum esse potest, quod cuique perspicuum erit; nam prima legum constitutio eodem tempore nobis occurrit, quo civitates a Graecis

constitutae sunt, quin ut ipsa civitatis forma a legibus pendebat, ita hae ab illa, et publica illa legum vis, ex qua cum civitatis constitutione cohaerent, id effecit, ut, quo tempore civitas ad extremam democratiam prolapsa est, eodem etiam jurisdictio in arbitrium VI M judicum deveniret.

Haec de universa juris Graeci indole praefati, rem ipsam ingrediamur.

Familiam quoque ad civitatem conversam fuisse, ex iis, quae modo diximus, jam apparet, familia enim apud Graecos civitatis causa conservatur, ut singuli gente et generatione quasi ipsa in civitatis communionem redigantur. Huc accedit, quod civilia et sacra hac ipsa ratione invicem semper se complerent, et sacra privata publico Deorum cultui inserviant. Quodsi haec omnia complectimur, rationem, ex qua jus hereditarium Atheniensium judicari et aestimari debeat, reperimus. *Is est finis, idque principium juris hereditarii Atheniensium, ut familia (propter civitatem) conservetur.* Inde explicantur omnia, quae de filiabus hereditariis constituta sunt; inde adoptiones quoque, quae nihil aliud nisi heredis institutiones fuerant; inde — id quod ipsum illud principium est — magnae illae familiae, phratriae, quae propinquitatem sacris gentiliciis consecratam repraesentant.

Quum autem cum hereditate sanctum heredi officium illigatum fuerit, ut defunctum sepeliat, et non solum omnia sacra ad humationem spectantia, sed etiam omnia familiae, cujus adoptione filius factus erat, sacra verbi gratia inferias defuncto singulis annis instituendas, perficiat, inde jus hereditarium etiam ad sacrum quoddam et religionis fundamentum refertur; nam quaevis vitae actio apud veteres quum ad res divinas converteretur et ad Deos ipsos referretur, superius quoddam assecuta est momentum.

Si nunc explicare studemus, cur de jure Atheniensium tantum ab oratoribus certiores facti simus, ut id caeco casui adscribendum sit, tantum abest, ut necessitatem, quam dicere licet historicam, in hac re reperiamus. Athenae omnibus ceteris Graeciae civitatibus superiores fuerunt, Athenae ingenii hegemoniam adeptae sunt. Ingenium Atticum Doricam indolem et Ionicam in se conjunctas continet, unde beata illa profundi et levis animi mixtio summum graecitatis cacumen adduxit. Jus Atticum temporis decursu ab omnibus Graecis agnitum latissime excolebatur, et unicum fere est, quod litteris nobis traditum est; unde juris Attici notitia in universorum Graecorum cognitione summopere valet, sicut etiam Attica humanitas atque urbanitas pro Graeca poni potest. Athenienses repraesentant totam Graeciam, et quoad intelligentiae fines, quos antiquitas attingere potuit, asseculi sunt, totius antiquitatis quasi exemplum et idea collocandi sunt.

Pauca denique de iis libris qui mihi praeter omnes et *Isaei* et *Demosthenis orationes hereditarias*, quae exstant, legendi et tractandi erant, dicenda sunt.

Inter libros, qui de jure Attico in universum agunt, inprimis tractandi erant hi libri: *C. Fr. Hermann*, Lehrbuch der griech. Staatsalterthümer. *Platner*, der Process und die Klagen bei den Attikern. *Meier und Schoemann*, der Attische Process etc. Jus hereditarium solum plures viri docti tractavere, quibus hos libros debemus: *Bunsen*, de jure hereditario Atheniensium, de quo libro sententiam tulit justae vituperationis non expertem *Platnerus* in Annalibus Heidelbergensibus (1814). *Gansius* in primo tomo operis sui: das Erbrecht in weltgeschichtlicher Entwicklung. Juris Attici hereditarii partem tractavit: *Carolus de Boor*, J. U. D. Ueber das Attische Intestaterbrecht, quem librum *C. Fr. Hermannus* in annalibus: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft von Dr. Zimmermann (1840) judicavit.

Hi viri docti, si Bunsenium, et fortasse Gansium quoque exceperis, omnes accurate de jure hereditario disputaverunt, sed mirum quantum inter se dissentiunt, quamlibet omnes ex iisdem fontibus hauserint, eademque vestigia presserint. Sane versatile illud orationum genus judiciale oratorumque, qui leges obiter tangunt, levitas efficiunt, ut saepe aequo Marte ex iisdem locis diversa concludere posse tibi videaris. Haec itaque etiamnunc dubia juris Attici conditio me impellebat, ut huic particulae, juri inquam hereditario, studia navarem, et rem denuo ex fontibus tractandam mihi proponerem, non quo egregios illos viros doctrina superare vellem, sed quia suavem et utilem operam fore putabam, si ipse rem penitus tractaturus idque effecturus essem, ut fortasse aliquot momenta firmiore argumento stare viderentur. —

Primum itaque de successione ab intestato, tum de successione, quae testamento nititur, denique de hereditate ipsa, et de actionibus hereditariis agemus.

De Successione ab intestato.

In initio hujus sane difficillimae totius juris hereditarii partis ante omnia ea lex a Demosthene adv. Macartat. 1067 *) recitata collocanda est, qua omnia, quae de hac parte Atheniensium juris hereditarii in sequentibus dicenda sunt, praecipuè nituntur.

Quae lex igitur, quae paene omnibus hujus rei studio deditis maxime obscura atque abstrusa, Atheniensibus autem, ut Demosthenes ipse in eadem pagina dicit: διαῤῥήδην λέγει ὁ νόμος οἷς δεῖ τὴν κληρονομίαν εἶναι explicatissima maximeque distincta videbatur, cum paucis jam ab aliis editoribus mutationibus comprobatis atque in textum a nobis receptis nunc recitamus:

Ὅτις μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὲν παῖδας καταλείπῃ θηλείας, σὺν ταύτῃσιν, ἐὰν δὲ μὴ, τούςδε κυρίους εἶναι τῶν χρημάτων, ἐὰν ἀδελφοὶ ὦσιν ὁμοπάτορες, καὶ ἐὰν παῖδες ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι, τὴν του πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν. ἐὰν δὲ μὴ ἀδελφοὶ ὦσιν ἢ ἀδελφῶν παῖδες, τοὺς ἐξ αὐτῶν κατὰ ταὐτὰ λαγχάνειν. κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω. ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι. ἐὰν δὲ μηδετέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι. νόθῳ δὲ μηδὲ νόθῃ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων, ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος.

Priusquam nunc successionis ab intestato apud Athenienses principia hac lege data explicamus, nonnulla praecepta ad doctrinam intelligendam plane necessaria constituere debemus:

Duae diversi generis lineae in successione ab intestato distingui possunt, linea defuncti, et singulae lineae

*) Pag. Reisk.


propinquorum. Defuncti linea nunc cum singula propinquorum linea aut virili aut muliebri capite conjuncta est. Si descendentes exstant, defunctus ipse caput est, de sua linea igitur loqui non possumus; si ascendentes exstant, eorum linea cum defuncti linea confluit; nihilominus autem, ut infra videbimus, eae lineae separatae considerari debent. Ut semper inveniatur, quae linea cognatorum habeat, utrimque in lineis et defuncti et propinquorum usque ad caput ascendere debemus, quod et defuncti et propinquorum lineae commune est. Quanti momenti sit, semper ad caput commune ut ascendamus, infra explicabitur. Si nunc ad principia successionis ab intestato constituenda revertimur, ante omnia legis supra memoratae verba strictissime sequamur necesse est.

I. Jus hereditarium Atheniensium neque apud descendentes nec collaterales nec ascendentes ulla gradus distantia descendentis et ascendentis lineae terminis est circumscriptum.

Hanc opinionem nostram, jam ab C. Fr. Hermanno (in recensione libri C. de Boor), attamen sine argumentis sufficientibus enuntiatam etsi omnibus ceteris hac de re scriptoribus contradicentibus, gravissimis argumentis exornatam infra explicare studebimus. Ante omnia nunc adversariorum nostrorum sententiam refutemus. Omnes scriptores enim jus hereditarium tribus gradibus terminatum esse dicunt; hoc autem locis ab iis recitatis demonstrari non potest. Nam ille locus apud Isaeum de her. Cir. 216, quem etiam Bunsenius (de jure hereditario Atheniensium) recitat: γονεῖς δ' εἰσὶ μήτηρ καὶ πατὴρ, καὶ πάππος καὶ τήθη· καὶ τούτων μήτηρ καὶ πατὴρ, ἐὰν ἔτι ζῶσιν· ἐκεῖνοι γὰρ ἀρχὴ τοῦ γένους εἰσί, καὶ τὰ ἐκείνων παραδίδονται τοῖς ἐγγόνοις κ. τ. λ., qui de iis loquitur, quibus descendentes victum praebere debent, et quorum opes tunc descendentes adipiscuntur, illud argumentum a contrario non permittit, quo successio intra hos gradus terminetur.

Sed etiam ne necessitatem quidem talis terminationis e natura juris hereditarii Atheniensium invenire possumus. Concedimus, quod infra accuratius exsequemur, jus hereditarium cum sacris et funeribus arctissime cohaerere; e verbis autem Demosthenis adv. Macart. 1071. γυναῖκα δὲ μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος, μηδ' ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι, ὅταν εἰς τὰ σήματα ἄγηται, ἐντὸς ἑξήκοντ' ἐτῶν γεγονυῖαν πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσί κ. τ. λ. successio illis tribus gradibus finitis terminata sit necesse esse minime concludi potest. Eodem modo officium caedis ulciscendae atque expiandae, quam legem Demosthenes adv. Macart. 1068. recitat, et Bunsenius inter argumenta gravissima numerat, nihil demonstrat; nam inter hos, quibus hoc officium impositum est, ii quoque nominantur, qui in successione hereditaria nusquam commemorantur, ut socer (πενθερὸς), gener (γαμβρὸς), etiam phratores.

Quantopere autem haec terminatio juri familiari Atheniensium contradicat, ex paucis in praefatione de hoc jure dictis apparebit; nam quum Athenienses omnino id appeterent, ne familia dissolveretur, proptereaque illas magnas familias ut phratrias instituerent, et hoc modo familiam conservare studerent; illa terminatione omnia pertubarentur, quae perturbatio exemplo magis apparebit:



Si nunc hac terminatione utimur, hereditatem, quam C relinquit, B accipit; quis autem non intelliget, hoc modo externum in familiam C receptum esse; dum A qui in eadem familia est, propter hanc iniquam, ut ita dicam, terminationem, nihil accipit.

propinquorum. Defuncti linea nunc cum singula pr
pinquorum linea aut virili aut muliebri capite conjun
est. Si descendentes exstant, defunctus ipse caput
de sua linea igitur loqui non possumus; si ascende
exstant, eorum linea cum defuncti linea confluit; n
minus autem, ut infra videbimus, eae lineae sep
considerari debent. Ut semper inveniatur, qua
cognatorum habeat, utrimque in lineis et defunct
pinquorum usque ad caput ascendere debemus.
defuncti et propinquorum lineae commune
momenti sit, semper ad caput commune ut
infra explicabitur. Si nunc ad principia s
intestato constituenda revertimur, ante o
memoratae verba strictissime sequamur

I. Jus hereditarium Athenien
descendentes nec collaterales nec
dus distantia descendentis et asc
nis est circumscriptum.

Hanc opinionem nostram,
(in recensione libri C. de Bo
tis sufficientibus enuntiatam
re scriptoribus contradicent
exornatam infra explicare
adversariorum nostrorum
scriptores enim jus hered
natum esse dicunt; hoc
monstrari non potest.
her. Cir. 116, quem
tario Atheniensium)
καὶ ... τῆθη
ἐκεῖνοι ... ἀρχῇ
ἐγγόνων ... qu
vict... eber
den
per

Sed [illegible] etur. Apud Isaeum
nis e natura [illegible] γὰρ ὑμεῖς τῶν πατρῴων
sumus. [illegible] ιεῖτε, ἐκ γένους παρελη-
jus hered[illegible] nuto, ἐπι πατρικῷ κλη-
haerere; e [illegible] . si unum tantum de-
γυναῖκα δὲ [illegible] minasset. Ut hic locus
θεῖν ἀποθαν[illegible] licet, tantum abest, ut
γεγονυῖαν [illegible] natam fuisse argumentum
tribus [illegible]
concludi [illegible] atia etiam in verbis nostrae
dae atque [illegible] legis inest, quod quasi epi-
Macart. [illegible] demonstrare nunc studebi-
vissima [illegible] aesentationis jus, ut jam C.
bus [illegible] as.) demonstravit, ex verbis:
qui [illegible] ς μοῖραν λαγχάνειν, apparet, et si
ut socer [illegible] , lex imperat, τοὺς ἐξ αὐτῶν κατὰ
[illegible] verbis profecto nulla terminatio
[illegible] um inest, ideoque omnes scripto-
jure [illegible] le Boor etc., qui contrariam sen-
[illegible] οὺς in παῖδας mutare coacti erant. Hoc
[illegible] is in sequentibus quoque verbis: καὶ
[illegible] τι expressum est; quibus perspicuum
[illegible] solum in linea fratrum, sed etiam in
[illegible] successionis jure ad hereditatem advo-
[illegible] nullo modo numerari.

[illegible]ndum principium successionis ab intestato, [illegible]s verbis in nostra lege expressum est: κρατεῖν καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων. *Masculi et ex mascu-[illegible]niti praeferuntur.* Sensum hujus legis hoc [illegible]xplicare possumus: Si duas lineas (lineam de-[illegible]et propinquorum) ad commune caput referimus, [illegible] defuncti, si per viros ad commune caput reducta [illegible] semper omnibus aliis praeferenda est, quae per mu-[illegible]es ad caput relatae sunt. Si autem lineae alio modo [illegible]nvenire non possunt atque ascensione ad mulierem,

Quum igitur hujus terminationis pravitatem ad evidentiam, ut ego quidem puto, demonstraverimus, nunc eo facilius illos locos, qui hanc terminationem expressis verbis pronuntiant, refutare possumus. Hi autem loci in Isaei oratione de Hagn. her. nobis occurrunt, nam 270 Isaeus: ὁ δὲ νόμος, inquit, περὶ ἀδελφοῦ χρημάτων πρῶτον ἀδελφοῖς τε καὶ ἀδελφιδοῖς πεποίηκε τὴν κληρονομίαν, ἂν ὦσιν ὁμοπάτορες· τοῦτο γὰρ ἐγγυτάτω τοῦ τελευτήσαντος γένος ἐστίν· ἐὰν δ' οὗτοι μὴ ὦσι, δεύτερον ἀδελφὰς ὁμοπατρίας καλεῖ καὶ παῖδας τοὺς ἐκ τούτων· ἐὰν δὲ μὴ ὦσι, τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν, ἀνεψιοῖς πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων· ἐὰν δὲ καὶ τοῦτ' ἐκλείπῃ τὸ γένος, πάλιν ἐπανέρχεται καὶ ποιεῖ τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ τελευτήσαντος κυρίους αὐτῶν, κατὰ ταὐτὰ καθάπερ τοῖς πρὸς πατρὸς ἐξ ἀρχῆς ἐδίδου τὴν κληρονομίαν. Haec verba, quae hucusque magnam perturbationem in hanc juris hereditarii partem intulerunt, et quae sanctissima atque inviolabilia habebantur, primus, nisi fallor, C. Fr. Hermannus (in recensione), et quidem merito, dolosam legis depravationem nominavit. Tota argumentatio in hac Isaei oratione eo spectat, ut judices dolo malo oratorio decipiantur. Propterea non strictis verbis, sed suis verbis orator legem recitat: 271. ταύτας ποεῖ τὰς ἀγχιστείας ὁ νομοθέτης μόνας, συντομωτέρως τοῖς ῥήμασιν ἢ ἐγὼ φράζω, τὴν μέντοι διάνοιαν ὧν βούλεται ταύτῃ δείκνυσιν. Et revera non solum tunc judices, sed omnes usque ad nostrum aevum Isaeus fefellisse videtur.

Quum autem jam in praecedentibus ex natura et ratione totius juris Atheniensium nos demonstrasse putemus, talem terminationem nullum locum in linea et descendente et ascendente habere posse; ut omnes locos, qui in hac Isaei oratione hanc legem dolo malo depravatam defendunt, recitemus opus non esse videtur.

Unum locum autem, quem Bunsenius magnum sententiae suae argumentum posuit, praetermittere non possum, quia omnino contrarium opinionis, quam Bunse-

nium ex eo ducere vult, continere videtur. Apud Isaeum enim de Her. Cir. 218 legimus: πάντες γὰρ ὑμεῖς τῶν πατρῴων τῶν παππῴων τῶν ἔτι περαιτέρω κληρονομεῖτε, ἐκ γένους παρειληφότες τὴν ἀγχιστείαν ἀνεπίδικον. Isaeus puto, ἔτι περαιτέρω κληρονομεῖτε nunquam dicere potuisset, si unum tantum designare voluisset, sed abavum nominasset. Ut hic locus igitur gradus terminationem indicet, tantum abest, ut successionem nullo gradu terminatam fuisse argumentum mihi videatur.

Haec autem nostra sententia etiam in verbis nostrae in initio collocatae Solonis legis inest, quod quasi epilogum primi principii nostri demonstrare nunc studebimus. Descendentium repraesentationis jus, ut jam C. Fr. Hermannus (in recens.) demonstravit, ex verbis: fratris filium τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν, apparet, et si fratris filii non exstant, lex imperat, τοὺς ἐξ αὐτῶν κατὰ ταὐτὰ λαγχάνειν. In his verbis profecto nulla terminatio usque ad tertium gradum inest, ideoque omnes scriptores, Bunsenius, C. de Boor etc., qui contrariam sententiam defendunt, τοὺς in παῖδας mutare coacti erant. Hoc repraesentationis jus in sequentibus quoque verbis: καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω ὦσι expressum est; quibus perspicuum esse videtur, non solum in linea fratrum, sed etiam in omnibus lineis, successionis jure ad hereditatem advocatis gradum nullo modo numerari.

II. Secundum principium successionis ab intestato, quod strictis verbis in nostra lege expressum est: κρατεῖν τοὺς ἄρρενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων. *Masculi et ex masculis progeniti praeferuntur.* Sensum hujus legis hoc modo explicare possumus: Si duas lineas (lineam defuncti et propinquorum) ad commune caput referimus, linea defuncti, si per viros ad commune caput reducta est, semper omnibus aliis praeferenda est, quae per mulieres ad caput relatae sunt. Si autem lineae alio modo convenire non possunt atque ascensione ad mulierem,

haec mulier caput est, et longius usque ad viros ascendere non opus est. Hoc modo facile capitum series constitui potest.

Hoc autem non sufficit; accidere enim potest, plures lineas eodem jure frui, verbi gratia lineas, quae in defuncto et ejus patre conveniunt. Quod si acciderit, inter has lineas, propter κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας eodem jure fruentes, semper ea praefertur, quae, si lineas reducis, prius quam ceterae in tali capite convenit. Huc legis verba: ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι referenda sunt, quae, ut jam C. de Boor demonstravit, eos cognatos significant, qui inter eos, qui propter κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας eodem jure fruerentur, prius in capite conveniunt. In cognatorum lineis autem, quae, si ad κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας tantum spectamus, inter se congruunt, haec observari debent: Ea cognatorum linea, in qua quidem mulieres sunt, quae autem prius in capite cum defuncto convenit, quam alia, in qua sine ulla intermissione viri sunt, nihilominus huic praefertur. Nunc saepe accidit, ut plures lineae in eodem capite conveniant. Hic lex κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων iterum viget; si igitur in altera linea sine intermissione viri sunt, in altera inter viros et mulieres, illa hanc antecedit. In fine hujus principii adnotationem, quae autem adhuc dictis superflua videbitur, addere possumus: omnes eodem tantum patre, non eadem matre nati (ὁμοπάτριοι) idem jus ac qui genere pares sunt, habent. Praeterea haec in quaque paene oratione expressa sunt; verbi gratia in Demosth. adv. Macart. 1077, adv. Leoch. 1084, 1099 etc.

Quum nunc de hac legis parte satis dictum videatur, quia legis verba clarissima omnino nullam difficultatem praebent, jam ad tertium principium, quod ex lege nostra constituere studemus, sane quod verborum interpretationem attinet, difficillimam partem, venimus, et profecto hic dici potest: adhuc sub judice lis est.

III. Si enim legis nostrae verba exsequimur, nobis occurrunt verba: ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι. In his verbis nunc paene omnes illam generalem terminationem usque ad tertium gradum viderunt, et nihil profecto magis, quam Isaei oratio de Hagn. her. illam sententiam, quae jam primo adspectu verbis non inest, adjuvit. Sed etiam hic Hermannus vir doctissimus (in recensione) primus verum horum verborum sensum explicavit.

Ut igitur ad legem nostram revertamur, haec illo principio: κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, constituto nunc designat, quibus conditionibus propinqui πρὸς πατρὸς propinquis πρὸς μητρὸς locum dare debent. Ante omnia autem nunc constituere debemus, quid oratores, si dicunt: οἱ πρὸς πατρὸς, quid, si dicunt, ὁ πρὸς μητρὸς significare velint. Si defunctus ipse caput non est, id est, si cognati et ascendentes exstant, ad priora capita, ut jam dictum, linea reducenda est; quae autem linea, quo altius in ea ascendimus, eo saepius dividitur. Si nunc primam divisionem quae super defuncto per parentes ejus existit, observamus, et si omnia, quae in his duabus partibus postea dividuntur, unum corpus habemus, hac contemplatione cognatorum et ascendentium partitionem in τοὺς πρὸς πατρὸς et τοὺς πρὸς μητρὸς adepti sumus, quae in jure Attico semper reperitur, quum sine dubio et gravissima et manifestissima sit.

Jam ad explicandum sensum verborum: ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι, progrediamur. Haec legis verba lineas collateralium terminant, minime autem gradus, ut in tota hac lege de gradibus omnino nihil dicitur, sed semper de lineis tantum, quae per eos, qui has repraesentare solent, designantur. Haec igitur lex ea conditione viget, si remotiores collaterales πρὸς πατρὸς

secundum principium: κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων propioribus πρὸς μητρὸς praeferendi essent, et hoc principium: κρατεῖν τοὺς ἄῤῥενας κ. τ. λ. tali conditione immutatur. Ideoque lege constitui debebat, quae collateralium πρὸς πατρὸς linea ultima esset, et quando matris stirpi hereditas veniret. Quibus verbis autem minime dictum est, filios vel nepotes eorum collateralium, qui secundum seriem linearum hereditatem consequi possunt, propter mortem patris vel avi, et quia hoc modo gradu remotiores essent, hereditate excludendos esse.

Eadem legis verba in Isaei oratione de Hag. her. 276. reperimus: ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς κυρίους εἶναι κατὰ τὰ αὐτά. Haec omnia recta; nunc autem orator statim omnia in suum consilium vertit, ita ut omnia perturbet et depravet, si dicit: ἀκούετε ὦ ἄνδρες, ὅτι ὁ νομοθέτης οὐκ εἶπεν, ἐὰν μηδεὶς ᾖ πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς τῶν ἀνεψιαδῶν εἶναι κυρίους, ἀλλὰ ἀπέδωκε τοῖς πρὸς μητρὸς τοῦ τελευτήσαντος κ. τ. λ.

Finis igitur successionis secundum legis verba, ut apud Isaeum legimus (lectionem enim ἀνεψιάδων παίδων, ut codices apud Demosthenem legunt, hoc modo Isaei verba sequens mutandam esse puto), ἀνεψιῶν παῖδες, consobrinorum filii sunt, id est ea linea, quae in abavo cum defuncto convenit. Cum Hermanno (in recensione) qui ἀνεψιῶν παῖδες jam hereditate excludit, consentire non possum, quum talis exclusio in praepositione μέχρις, in qua fortasse quaeri posset, inesse mihi non videatur. Alias quoque causas hujus mirae opinionis Hermannus enumerare studet, quas autem jam propterea probare non possum, quia et in Demosthene adv. Macart. et in Isaeo de Hag. hered. narratur, Theopompum, qui cum Hagnia defuncto consobrini filius est, τοὺς πρὸς μητρὸς Hagniae priore parte hujus litis vicisse. Si igitur succedendi jus ad hanc lineam non conveniret, οἱ πρὸς μητρὸς Theopompo sine dubio praelati fuissent.

IV. Nunc quartum principium constituimus, quod in verbis quidem nostrae legis (Macart. 1067) expressum non est, attamen Atheniensium juris hereditarii jam natura et adhuc dictis nititur: *Mulieres, quibus hereditas secundum legitimam successionem obvenit, non in omne vitae tempus hereditatem possident, sed via tantum sunt, qua heredilas quam celerrime ad viros iterum transferatur.* Demosth. adv. Steph. B. 1135: καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ διετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Isaeus de Cir. hered. 195. 206. 215 etc. Hoc principio nititur totum institutum filiarum hereditariarum, de quibus infra dicendum est.

Priusquam autem ex principiis adhuc explicatis, ut ita dicam, successionis aedificium exstruere audemus, nonnulla de verbis οἶκος, γένος et ἀγχιστεία, quae saepissime apud oratores nobis occurrunt, dicenda sunt.

Hucusque verbum οἶκος, quod inter illa tria modo nominata sane saepissime nobis obvenit, tot definitiones inter se contrarias accepit, quod homines docti de hac re scripserunt. Quarum definitionum aliae magna subtilitate magnaque locorum copia illustratae sunt, ut illa, quam Platnerus (in Annalibus Heidelbergensibus 1814) scripsit; aliae autem sine ulla causa interiore propterea tantum factae videntur, ut de hac re quoque aliquid dicatur. Ejusmodi est Bunsenii definitio: „Domo praeter ipsius cujus est filios, nepotes, pronepotesque, et filias, neptes atque proneptes, primum parentes, pater et mater, et ab iis oriundi fratres, sororesque cum liberis, deinde ex avi atque aviae stirpe a patruo amitaque, vel avunculo materteraque procreati, consobrini, consobrinaeque cum liberis comprehenduntur.“ Unam tantum orationem hereditariam si legeris, jam talis definitionis vanitatem intelliges. Hermannus (in recens.) sententiam in medio posuit, verba ut οἶκος, γένος etc. laxitatem quotidiani sermonis usus habere, eaque juridica definitione

circumscribi non posse. Etsi ex parte cum Hermanno consentiam, tamen significationem principalem, quae tunc frequentissima fuerat, hoc verbum habuisse puto. Si igitur hanc significationem tenemus, nihilominus, credo, ad definitionem, in qua acquiescere possumus, veniemus. Quibus praepositis nunc οἶκος hoc modo explicamus: Domus est complexus et ascendentium, et collateralium et descendentium defuncti, qui cum hoc ab eodem stirpis auctore aut partu aut adoptione oriundi neque exadoptati sunt. Igitur semper, si exadoptati hereditatem patris naturalis petere student, contradicitur, οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ οἴκῳ eos esse. Eodem modo filii uterini non in domo vitrici sunt, sed in domo ipsorum patris naturalis jam mortui.

Si ad definitionem verbi γένος transimus, quod attinet sententias priorum de hac re auctorum, idem, quod definitioni verbi οἶκος praemisimus, dicendum est: Quot capita, tot sensus. Hermanni quoque sententiam supra jam commemoraverimus, quam hic sequi coacti sumus; nam quo longius illam paene innumerabilem locorum copiam, in quibus hoc verbum reperitur, inspicis, eo magis intelliges, strictam hujus verbi definitionem invenire non posse; mox enim γένος gradus propinquitatem significare videtur, mox γένος est propinquitas sine ulla juris terminatione, mox propinquorum complexus etc.

Denique de ἀγχιστεία loquamur, de quo verbo non minor est dissensio, quam de ceteris supra memoratis. Bunsenium, qui sententiam in medio posuit, propinqui lege ad successionem vocati conditionem, qua in propiorum numero versatur, ἀγχιστείαν et ceterorum inferiorum respectu τὴν ἀγχιστείαν, nominari, ita sequor, ut priorem partem hujus sententiae negem, et hoc modo definitionem ponam: Et ἀγχιστεία et ἡ ἀγχιστεία conditio est, qua quis ad successionem vocatur ceterorum inferiorum respectu. Unum tantum locum ex multis, quo optime nostra sententia intelligetur, eligimus; in Isaei oratione de Hag. hered. 279 orator dicit: οἰόμενοι δ' ἐμοῦ πλεονεκ-


τήσειν μητέρα εἶναι τοῦ τελευτήσαντος ἔγραψαν· ὃ συγγενέστατον μὲν ἦν τῇ φύσει πάντων, ἐν δὲ ταῖς ἀγχιστείαις ὁμολογουμένως οὐκ ἔστιν. Hoc non est, matrem successionis jure omnino esse privatam, sed tantum inter proximos eam non versari et succedendo esse inferiorem. Attamen negari non potest, verbum *ἀγχιστείαν* etiam in alio sensu ab oratoribus adhibitum esse, nec raro locos reperimus, in quibus oratores hoc verbo utuntur, ut ad consequendum, quod ibidem volunt, maxime idoneum ipsis videtur. Nostra definitione significationem principalem tantum et incorruptam exponere voluimus.

Principiis nunc expositis quaeritur, quibus successio data sit, sive quo ordine ii, quibus ex legibus hereditatem adire licet, succedant. Jam ex adhuc dictis descendentes omnibus praeferendos esse vidimus; hos sequuntur cognati et ascendentes, qui disjungantur in duas partes, in *τοὺς πρὸς πατρὸς* et *τοὺς πρὸς μητρός*. Jam nunc igitur omnis successio hoc modo apparet:

A) Descendentes. B) Cognati et ascendentes, 1) *πρὸς πατρός*, 2) *πρὸς μητρός*.

A) Descendentes:

1) Heredes sunt filii et naturales et adoptati, filiorum mortuorum filii, nepotes, pronepotes etc., sive lineae, quae sine intermissione per mares oriuntur. Hi omnes in stirpes succedunt. Exemplo hoc illustramus, quod quidem vix accidere potest, attamen si principia nostra persequimur, omnino recte se habet:




Hereditas defuncti A in sex partes dividitur. Sententiam Caroli de Boor, qui a verbis: ἐὰν δὲ μὴ ἀδελφοὶ ὦσιν ἢ ἀδελφῶν παῖδες, ἐξ αὐτῶν κατὰ ταὐτὰ λαγχάνειν, derivare vult, primum et secundum gradum praeferendum esse, et tunc demum, si nemo in his gradibus exstaret, tertium sequi; jam iis, quae in primo principio diximus, gradu propiorem vel remotiorem aliquem esse, nullius momenti fuisse, refutatur.

Alia difficultas nobis obvenit, quum in Isaei oratione de Apollod. hered. 173 legamus: πατρῴων μὲν οὖν καὶ ἀδελφοῦ χρημάτων τὸ ἴσον αὐτοῖς ὁ νόμος μετασχεῖν δίδωσιν (scil. filiis et filiabus); ἀνεψιοῦ δὲ καὶ εἴ τις ἔξω ταύτης τῆς συγγενείας ἐστίν, οὐκ ἴσον, ἀλλὰ προτέροις τοῖς ἄῤῥεσι τῶν θηλειῶν τὴν ἀγχιστείαν πεποίηκε· λέγει γὰρ κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, οἳ ἂν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, κἂν γένει ἀπωτέρω τυγχάνωσιν ὄντες. Haec verba hunc sensum habere videntur, patre mortuo res pariter inter filios et filias divisas esse, quae non solum aliis oratorum locis, verbi gratia in Isaeo de Hagn. hered. 270, in quibus leges recitantur, sed praecipue nostrae legi ex Demosthenis oratione adv. Macart. 1067, quam quasi fundamentum totius successionis constituimus, contradicunt. Nam jam in initio nostrae legis dicitur: ὅστις μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὲν παῖδας καταλείπῃ θηλείας, σὺν ταύτῃσιν, ἐὰν δὲ μὴ, τούς δε κυρίους εἶναι τῶν χρημάτων κ. τ. λ. His verbis expressum videmus, filiam hereditatis partem esse, fratrem igitur sororem cum hereditate adeptum esse. Talis virgo ἐπιπροῖκος nominabatur, et fratres, eorumque descendentes eam elocare debebant. Si plures fratres erant, communiter sororem elocabant. Demosth. adv. Leoch. 1085: τὸ γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἐκδιδόασι τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτῶν ὁ Μειδυλίδης καὶ ὁ Ἀρχιάδης. Harpocration sub h. v. ἐπίπροικος δὲ ἡ ἐπὶ μέρει τινι τοῦ κλήρου ὥστε προῖκα ἔχειν, ἀδελφῶν αὐτῇ ὄντων. Fratres et eorum descendentes igitur totam hereditatem accipiunt. Opinionem, hereditatem inter filios et filias pariter quidem divisam esse, filias autem, quum rerum suarum dominae esse non

possint, suam partem non accepisse, sed fratres pro iis pecuniam administrare, donec eas elocent, et tunc hanc partem quasi dotem iis persolvere, eo refutare possumus, quia plures loci nos docent, dotis magnitudinem ex arbitrio ejus, qui eam dat, pendere. Sic apud Isaeum de Pyrrhi hered. 32. legimus, nuptias, quas quis temere iniisset, eos, qui dotem dant, quam maxima dote praemunire studuisse. Quod autem fieri non potuisset, si quam certam partem frater sorori dare debuisset. Igitur non possumus, quin etiam in his Isaei verbis legis depravationem intelligamus, et quidem ejus legis, quam Isaeus in praecedentibus verbis recitat, sorores cum liberis sororum mortuarum bona pariter inter se divisisse; de qua infra loquemur.

2. Nunc sequitur ea linea, quae longius, quam omnes ceterae, per viros duci potest. Tum ea, in qua prius quam in praecedente mulier nobis occurrit. Linea ultima igitur ea esse debet, in qua jam defunctum mulier sequitur, id est, si patre mortuo filia tantum relinquitur. Talis filia, cui tota hereditas obvenerat, et quae ἐπίκληρος nominata hereditatis pars habebatur, genere proximo obveniebat, qui eam aut in matrimonium ducere aut elocare debebat. Hanc legem disertis verbis discimus ex Isaeo de hered. Arist. 257. προσῆκον δ'αὐτῇ μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγυτάτῳ γένους συνοικεῖν. Alios locos infra, si de filiis hereditariis latius loquimur, recitabimus. Liberi autem talis filiae, quum secundum principium a nobis constitutum mulieres via tantum sint, qua hereditas quam celerrime ad viros iterum transferatur, rem avi sui jam accipiunt, si pubertatem ingressi sunt, usque ad quod tempus pater rem pro iis administrat. Haec docent Isaeus de Aristarch. hered. 201: καὶ μὲν δή, οὐδὲ Ἀριστομένει γε, οὐδὲ Ἀπολλοδώρῳ, οἷς προσήκει τῆς ἐμῆς μητρὸς ἐπιδικάσασθαι, οὐδὲ τούτοις ἐξῆν· θαυμαστὸν γὰρ ἂν ἦν, εἰ τὴν ἐμὴν μητέρα ἔχοντι Ἀπολλοδώρῳ ἢ Ἀριστομένει οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν τῶν ἐκείνης κυρίῳ γενέσθαι, κατὰ τὸν νόμον, ὃς οὐκ ἐᾷ τῶν τῆς ἐπικλήρου κύριον εἶναι,

ἀλλ' ἢ τοὺς παῖδας ἐπὶ δίετες ἡβήσαντας κρατεῖν τῶν χρημάτων κ. τ. λ. Isaeus de Cir. her. 215: καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν νόμων ἀκριβέστερον διδάξομεν· εἰ γὰρ ἔζη μὲν ἡ ἐμὴ μήτηρ, θυγάτηρ δὲ Κίρωνος, μηδὲν δὲ ἐκεῖνος διαθέμενος ἐτελεύτησεν, ἦν δὲ ἀδελφὸς οὗτος αὐτῷ, μὴ ἀδελφιδοῦς, συνοικῆσαι μὲν κ. τ. λ. Matrem vero, dum viveret, alere debebant. Demosth. adv. Steph. B. 1135: καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί. Si plures filiae exstabant, res patris semper in stirpes dividebatur; si igitur trium filiarum una tribus filiis relictis mortua erat, res in tres partes dividebatur, et tres filii tertiam hereditatis partem accipiebant. Quod majore quoque exemplo illustramus:



Hereditas defuncti A in quatuor partes dividitur, ita ut primam B, secundam C et D; tertiam E, F et G; quartam H accipiat. Carolus de Boor in tali exemplo divisionem in capita instituere vult, quae, etsi exempla hujus sententiae exstarent, injustissima esset, nam in nostro exemplo filia B propter mortem sororum suarum septimam tantum hereditatis partem pro quarta acciperet. Hoc fieri non posse, quisque intelligit. Filia mortua, filio filiaque ab ea relicta, hereditatem filium tantum accepisse, qui tunc sororem elocavit, jam ex supra dictis constat.

B.) Cognati et ascendentes.

1) πρὸς πατρός.

Si nemo descendentium exstat, ad proximum caput procedere necesse est, quod caput pater defuncti est;

qui igitur in hoc capite cum defuncto conveniunt, hi hereditatem consequuntur.

1) Fratres defuncti, eorum filii, nepotes, pronepotes etc., sive lineae, quae ut apud descendentes sine intermissione per mares oriuntur. Omnes in stirpes succedunt. Illum Isaei locum de Apollod. hered. 173, ex quo quis efficere possit, fratres et sorores defuncti res pariter inter se divisisse, jam supra refutavimus. Nemo in omnibus orationibus exemplum reperiet, fratrem et sororem, vel fratrem et sororis filium pares partes accepisse. Exemplum, fratres cum defuncti fratris filiis in stirpes divisisse, nobis exstat ex Isaeo de Apollod. hered. 163: Εὔπολις γάρ, καὶ Θράσυλλος καὶ Μνήσων, ἀδελφοὶ ἦσαν ὁμομήτριοι καὶ ὁμοπάτριοι· τούτοις οὐσίαν ὁ πατὴρ κατέλιπε πολλήν ... ταύτην ἐκεῖνοι τρεῖς ὄντες ἐνείμαντο πρὸς ἀλλήλους· τούτων δύο τελευτησάντων περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον, ὁ μὲν Μνήσων ἐνθάδε, ἄγαμος καὶ ἄπαις κ. τ. λ.

2) Nunc sequitur eodem modo, quo apud descendentes ea linea, quam longius, quam omnes ceteras per viros ducere potes. Tum ea, in qua prius, quam in praecedente, mulier exstat. Hoc modo ea linea ultima iterum esse debet, in qua jam caput mulier sequitur, id est, ea linea, quam defuncti soror constituit. Hic omnia vigent, quae de filiabus apud descendentes diximus. Sorores cum sororis mortuae filiis in stirpes divisisse, legimus in Isaeo de Apollod. hered. 172: ἔστι δὲ νόμος, ὅς, ἐὰν ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἄπαις τελευτήσῃ καὶ μὴ διαθέμενος, τήν τε ἀδελφὴν ὁμοίως, καν ἐξ ἑτέρας ἀδελφιδοῦς ᾖ γεγονώς, ἰσομοίρους τῶν χρημάτων καθίστησι; ibidem 174: λάβε δὴ αὐτοῖς τοὺς νόμους .... Ἐνταῦθα μὲν ὁμοίως καὶ ἀδελφὴ καὶ ἀδελφιδοῦς ἰσόμοιροι κατὰ τὸν νόμον εἰσί. Etiam hic Carolus de Boor divisionem in capita instituere vult, locos autem, quos recitat, nihil demonstrant, praetereaque, ut jam supra diximus, hoc iniquissimum esset. Locos, quos recitat, sunt: Isaeus de Apollod. hered. 172, locus a nobis modo citatus, in quo sine dubio de successione in stirpes agi-

tur, et sententia, a C. de Boor proposita: „in casu positum esse defunctam, de qua in hoc loco agatur, unum tantum filium habuisse, et si plures exstitissent, quemque partem hereditatis in capita divisae accepisse," futilis commenticiaque est. In alio loco, quem C. de Boor attrahit, conjectura opus est, ut haec sententia verbis insit. Hic locus est in Isaeo de Dicaeog. hered. 104, in quo C. de Boor legit: ἔδωκε Δικαιογένης τὴν ἀδελφὴν τὴν τούτου, dum lectio vulgaris τὴν ἑαυτοῦ bonum sensum praebet. Quod denique ad locum in Isaeo de Philoct. hered. 147 attinet, C. de Boor concedit, hunc locum se explicare non posse; Hermannus (in recensione) autem optima conjectura etiam hanc difficultatem removisse mihi videtur, quum pro πέμπτου μέρους, ἐπὶ μέρους legere vult.

Pauca nunc nobis dicenda sunt de lege nostra principali, in qua sorores non commemorantur. Bunsenius igitur aliique, ut legem emendarent, verba: ἐὰν δὲ μὴ ἀδελφοὶ ὦσιν, ἢ ἀδελφῶν παῖδες, ἀδελφὰς καὶ παῖδας ἐξ αὐτῶν λαγχάνειν. Ἐὰν δὲ μὴ ἀδελφοὶ ὦσιν, ἢ ἀδελφῶν παῖδες, ἀνεψιοὺς κ. τ. λ. quae ex Isaeo de Hagn, her. 270 sumebant, in nostram legem inscripserunt. Hoc necesse esse non puto, nam argumentatio, ita ut, si fratres eorumque descendentes non exstant, sorores earumque descendentes veniant, jam ex consentanea legis interpretatione sequitur. Praeterea Isaeus loco citato dicit: ταύτας ποιεῖ τὰς ἀγχιστείας ὁ νομοθέτης μόνας, συντομωτέρως τοῖς ῥήμασιν, ἢ ἐγὼ φράζω, quae verba sine dubio omnem verborum interpositionem tollere videntur.

Si nemo nunc exstat, qui in patre defuncti, quem adhuc caput posuimus, convenit, ad superius caput ascendere debemus, sive ad patrem patris defuncti, ad defuncti avum. Concedimus, hic certam legem nobis non occurrere, quae dicat, patrem vel ascendentes liberorum esse heredes; et inde Gansius (in libro: das Erbrecht in weltgeschichtlicher Entwicklung) sententiam confirmare studet, ascendentes descendentium heredes esse

non potuisse; attamen ex tota juris hereditarii Attici indole, ascendentibus hoc jus fuisse pro certo putari debet. Nam id, quod adversarii afferunt, in orationibus nullam legem inveniri, id profecto nullius est momenti. Vestigia autem ejusmodi legis nobis occurrere, in sequentibus explicare studebimus.

1) Hic primus nobis occurrit defuncti pater, cujus de jure hereditario jam valde disceptabatur. Nonnulli, ut Jonesius, Gansius, ei omne jus abjudicaverunt, alii, qui ei hoc jus tribuunt, de loco certant, quo collocandus sit. Patrem jus hereditarium habuisse, et ex omnibus adhuc de jure hereditario dictis, et ex Demosth. adv. Leoch. 1088 sequi videtur, quo loco orator dicit: καὶ γὰρ τῷ Ἀρχιάδῃ, οὗ ἦν ἡ οὐσία τὸ ἐξ αρχῆς, ἐγγυτάτω γένει ἐσμὲν καὶ τῷ εἰσποιήτῳ Λεωκράτει· τοῦ μὲν γὰρ ὁ πατὴρ ἐπανεληλυθὼς εἰς τοὺς Ἐλευσινίους οὐκέτι τὴν κατὰ τὸν νόμον οἰκειότητα ἔλειπεν αὐτῷ, ἡμεῖς δὲ, παρ' οἷς ἦν ἐν τῷ γένει, τὴν ἀναγκαιοτάτην συγγένειαν εἴχομεν, ὄντες ἀνεψιαδοῖ ἐκείνῳ, ὥστ', εἰ μὲν βούλει, τοῦ Ἀρχιάδου συγγενεῖς ὄντες ἀξιοῦμεν κληρονομεῖν, εἰ δὲ βούλει, τοῦ Λεωκράτους· τετελευτηκότος γὰρ ἄπαιδος οὑτοῦ ὀνδεὶς ἡμῶν γένει ἐγγυτέρω ἐστίν. In eadem oratione 1090 reperimus: κατὰ ποῖον, νομον φανεῖται ἐρήμου ὄντος τοῦ οἴκου τοὺς ἐγγυτάτω γένους ἡμᾶς ἐξαγαγὼν ἐκ τῆς οὐσίας; ὅτι νὴ Δία πατὴρ ἦν τοῦ τετελευτηκότος· ἀπεληλυθὼς γ' εἰς τὸν πατρῷον οἶκον καὶ οὐκέτι τῆς οὐσίας, ἐφ' ᾗ ἐγκατέλιπε τὸν υἱὸν, κύριος ὤν· εἰ δὲ μὴ, τί τῶν νόμων ὄφελος;

Nunc certamen restat de patris collocatione. Si principia a nobis in initio data exsequimur, in hoc loco ponendus, id est, inter omnes, qui in avo cum defuncto conveniunt, pater primus ad hereditatem vocatur. Hic autem nova difficultas nobis occurrit, num pater cum fratribus suis, id est, cum defuncti patruis hereditatem acceperit, omnesque in stirpes eam diviserint, an pater solus hereditatem consecutus sit, patruosque defuncti patre mortuo demum heredes facti sint. Loci, ex quibus hoc constituere possimus, non exstant, quia sine dubio hoc raro incidebat, pater haud raro jam mortuus erat;

attamen hoc constituere debemus. C. de Boor se hoc nescire fatetur. Equidem puto, patrem solum hereditatem accepisse; iniquum enim mihi videtur, patrem adhuc vivum rem suam, quam ipse filio tradiderat, et quae nunc hujus morte ad ipsum regreditur, cum fratribus suis dividere coactum fuisse, quum praeterea defuncti patruis hereditatis amittendae periculum non fuisset; patre enim mortuo hereditas iis sine controversia obveniebat. Bunsenii sententiam, qui patrem ante omnes cognatos, proximum a descendentibus collocat, refutandam esse, in eo cum C. de Boor consentio; nam causas a Bunsenio ad sententiam suam confirmandam allatas, omnino nihil demonstrant; et si nostra sententia argumentis etiam directis caret, jam propterea praeferenda mihi videtur, quia in systema a nostris principiis exstructum cadit.

2) Patrem igitur defuncti patrui sequuntur, et eorum descendentes, si sine intermissione per mares oriuntur, ut patrueles, horum liberi, nepotes etc. Quantopere Bunsenius erraverit, qui Isaei verbis de Hagn. hered. 270 argumentis gravissimis a nobis rejectis majorem fidem tribuens, patruos longe post cognatos πρὸς μητρὸς posuit, ex adhuc dictis facile intelliges.

3) Nunc ea linea, quae longius quam omnes ceterae per viros duci potest, hereditatem accepit. Tum ea, in qua prius, quam in praecedente mulier exstat. Hoc modo amita ultima sequitur, quum linea ab ea ducatur, quae jam in initio mulierem eam ipsam ponit. De amitinarum descendentibus omnia vigent, quae supra de sororum descendentibus diximus. C. de Boor Isaei loco de Apoll. hered. 173 nitens, amitae descendentes viriles amitae praefert, ideoque prius ad hereditatem vocat, quam illam. Jam propterea cum eo consentire non possum, quum illum Isaei locum, ut supra exposui, legis depravationem putem. Nusquam alibi hanc opinionem

explicatam reperi, et quum hoc modo exempla non exstent, quae aut hanc aut nostram opinionem confirment, accommodatius puto, si opinionem praecedentibus convenientem defendimus, quam uni loco insuper valde suspecto nimis confidentes seriem ad rationem revocatam dirimere studemus.

Si etiam in avo defuncti nemo cum defuncto convenit, proximum caput, avi pater, defuncti abavus est. Hic omnia eodem modo exsequenda sunt, quo supra, quum defuncti avus caput fuit, fecimus. Defuncti avus primus ad hereditatem vocatur, tum sequitur patruus magnus. Etiam hic nos omnia exponere, non necessarium puto, quum haec series facillime praecedentis imitatione exprimi potest.

2) *Πρὸς μητρός.*

Nunc secundum principium nostrum tertium hereditas ad cognatos πρὸς μητρὸς defuncti transit. Nunc enim in descriptione nostra ad collateralium lineam venimus, quae defuncti consobrinorum liberos πρὸς πατρὸς continet. Huic lineae, ut ex nostro principio jam scimus, hereditas adhuc obvenit; sin autem hujus lineae nemo exstat, οἱ πρὸς μητρὸς heredes sunto. Defuncti mater igitur hic primum caput est. Quum autem omnes eodem modo collocandi sunt, quo οἱ πρὸς πατρὸς, ad ordinem ibi expositum delegare possumus; de jure hereditario matris tantum latius disserere debemus.

Si enim in primo ordine, cujus caput defuncti mater est, et in quo fratres uterini primi ad hereditatem vocantur, nemo exstat, ad proximum caput, ut jam scimus, ascendere debemus, quod caput pater defuncti matris, avus maternus est. Nunc defuncti matri hereditas obvenire debet. Matrem jus in filii bona succedendi habuisse, et adhuc dictis et praeterea Isaei verbis pro certo dici potest. Isaeus enim de Hag. her. 286 dicit: ἧκεν ἂν οὖν ἐπ' αὐτὰ τοῦτο μὲν ὁ Γλαύκων, ὁ τοῦ Ἁγνίου ἀδελφός· πρὸς

ὃν μὴ ὅτι γένος εἶχον ἄμεινον εἰπεῖν, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῆς ἀγχιστείας ἐφαίνοντ' ἂν ὄντες, τοῦτο δ', εἰ μὴ ἐβούλετο οὗτος, ἡ Ἁγνίου κἀκείνου μήτηρ, προσῆκον καὶ αὐτῇ τῆς ἀγχιστείας τοῦ αὐτῆς υἱέος· ὥσθ' ὁπότ' ἠγωνίζετο πρὸς τοὺς μηδὲν γένει προσήκοντας, φανερῶς ἂν ἔλαβε τὸ ἡμικλήριον παρ' ὑμῶν, τοῦτο τοῦ δικαίου καὶ τῶν νόμων αὐτῇ δεδωκότων. Quibus verbis, puto, etiam locus, in quo matrem hic collocavimus, defendi posse videtur. Etiamsi autem hunc locum non haberemus, nihilominus mater jam eam ob causam in hoc loco ponenda esse mihi videtur, qui patrem in praecedentibus in eodem loco collocavimus.

Si nunc etiam hic ad singula capita ascendimus, neminemque reperimus, qui cum defuncto in his conveniat, successio iterum ad cognatos πρὸς πατρὸς transit, et lex tali modo hoc exprimit: ἐὰν δὲ μηδετέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι. (Macart. 1067).

Sin autem nulli propinqui reperirentur, Archon quendam destinabat, qui in mortui domum adoptaretur, ne domus deserta fieret. Isaeus hoc affirmat in oratione de Apoll. hered. 179: πάντες γὰρ οἱ τελευτήσειν μέλλοντες πρόνοιαν ποιοῦνται σφῶν αὐτῶν, ὅπως μὴ ἐξερημώσωσι τοὺς σφετέρους αὐτῶν οἴκους . . . καὶ οὐ μόνον ἰδίᾳ ταῦτα γιγνώσκουσιν, ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως οὕτω ταῦτ' ἔγνωσκε· νόμῳ γὰρ τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων, ὅπως ἂν μὴ ἐξερημῶνται, προστάττει τὴν ἐπιμέλειαν.

In fine nostrae legis (Macart. 1067) legimus: νόθῳ δὲ μηδὲ νόθῃ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων, ἀπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος, quibus verbis expressum est, nothos ne paternorum quidem bonorum heredes esse posse. Nothi autem non solum ii habebantur, qui e concubinatu, sed etiam qui e nuptiis sine sponsalibus domini sponsae conciliatis existunt, ut Demosth. adv. Phorm. nos docet: εἰ γὰρ αὐτὴν εἶχεν λαβὼν ἀδίκως ὅδε μηδενὸς δόντος, οὐκ ἦσαν οἱ παῖδες κληρόνομοι, τοῖς δὲ μὴ κληρονόμοις οὐκ ἦν μετουσία τῶν ὄντων.

Si jura hereditaria ceterorum, qui libertate at non civitate plena fruuntur, inquirere studemus, ex Demosth.

adv. Steph. B. 1135 intelligimus, inquilinos eodem jure usos esse, quo cives Athenienses. Demosthenes enim dicit: *τὸν τοίνον νόμον ἐπὶ τούτοις ἀνάγνωθι, ὃς κελεύει ἐπιδικασίαν εἶναι τῶν ἐπικλήρων ἁπασῶν, καὶ ξένων καὶ ἀστῶν, καὶ περὶ μὲν τῶν πολιτῶν τὸν ἄρχοντα εἰσάγειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι, περὶ δὲ τῶν μετοίκων τὸν πολέμαρχον, καὶ ἀνεπίδικον μὴ ἐξεῖναι ἔχειν μήτε κλῆρον μήτε ἐπίκληρον.*

Quod eos attinet, qui libertate carent, Hermannus (Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer) dicit, servum eorum, quae praeter tributum, quod domino solvere debebat, comparsit, possessionem habuisse, et in hanc partem servi descendentes succedere potuisse credo. Bunsenii opinionem, servorum bona omnia ad dominos pervenisse, jam propterea refutari debet, quia locus Demosth. adv. Macart. 1069, quo solo sententiam suam nititur, ut supra jam diximus, nihil demonstrat; nam ex officio justorum faciendorum successio in defuncti bona non sequitur.

De successione, quae testamento nititur.

Si ante omnia definitionem testamenti in jure Attico constituere studemus, eandem, puto, sine dubio, quam Lex. 1. Dig. h. t. pro jure Romano constituit, etiam in jus atticum transferre possumus: „*Testamentum est voluntatis nostrae justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.*“ —

Ante Solonem non concessum erat, bona sua alii ac genere proximo dare, sed Solon primus hereditatem ex testamento, et jus legata decernendi procreavit, ut Plutarchus (Solon c. 21) dicit: *πρότερον οὐκ ἐξῆν, ἀλλ' ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνηκότος ἔδει τὰ χρήματα καὶ τὸν οἶκον καταμένειν· ὁ δ' ᾧ βούλεταί τις ἐπιτρέψας εἰ μὴ παῖδες εἶεν αὐτῷ δοῦναι τὰ αὐτοῦ . . . οὐ μὴν ἀνέδην γε πάλιν, οὐδ' ἁπλῶς τὰς δόσεις ἐφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσων ἕνεκεν ἢ φαρμάκων ἢ δεσμῶν ἢ ἀνάγκῃ κατασχεθεὶς ἢ γυναικὶ πειθόμενος.* Haec heredis institutio ex testamento nihil aliud fuit, ac adoptio, et sic omnia, quae de successione, quae testamento nititur, dicturi sumus, judicanda mihi esse videntur. Hoc modo igitur *διατίθεσθαι* idem est, ac *υἱόν τινα ποιεῖν*, propter eaque, qui cum testari potuisset, intestatus mortuus est, *ἄπαις* decessisse dicitur, ut Isaeus de her. Philoct. 150 nos docet: *σὺ δ' οὐ παραγενόμενος διαῤῥήδην μεμαρτύρηκας, ὡς οὐ διέθετο Φιλοκτήμων, ἀλλ' ἄπαις ἐτελεύτησε. Εἰσποιητὸς*, heres testamento institutus eodem modo quo inter vivos adoptatus nominatur. Etiam institutio in partem hereditatis adoptio appellatur. Ex innumeris locis, qui hanc sententiam confirmant, hunc tantum ex Isaeo de hered. Dicaeg. 90 recitamus: *ἀποθανόντος δ' αὐτοῦ ἄπαιδος, διαθήκην ἀπέφηνε Πρόξενος ὁ Δικαιογένους πατήρ· ᾗ πιστεύσαντες οἱ ἡμέτεροι πατέρες ἐνείμαντο τὸν κλῆρον· καὶ ἐπὶ μὲν τῷ τρίτῳ μέρει τοῦ κλήρου Δικαιογένης ὅδε . . . υἱὸς ἐγένετο ποιητός.* Si Bunsenius dicit, omnia testamenta magis

minusve et solennes et firmas inter testatorem et heredem legatariumve conventiones et contractus (συμβόλαια) in jure Attico haberi, hoc sine dubio ad formam tantum referri debet. Testamentum in jure Attico non tam multis formulis et regulis quam apud Romanos implicitum fuisse, ex ingenio et vita Graecorum apparet, propterea que haec juris hereditarii pars neque difficilior ut Bunsenius putat, neque obscurior est; nam certam doctrinam constituere opus non est; quin potius talis doctrina constitui nequit, quia apud Graecos ipsos non exstabat.

His praemissis nunc rem ipsam ingrediamur. Primum nobis dicendum est:

Quid ad testamenti factionem requiritur?

a) quod attinet personam testatoris;

b) quod attinet formam.

Tum in altera parte de heredibus instituendis agendum est.

I. Quid ad testamenti factionem requiritur, a) quod attinet testatoris personam?

Si interrogamus, qui testamentum facere possint, multi oratorum loci, quorum gravissimos infra recitabimus, nos docent: Omnibus testamentum condere licebat, qui cives a patre cive nati erant, quibus filii non erant, qui sui juris neque adoptati, neque qualibetcunque alia ratione coacti erant. Demosth. adv. Steph. B. 1133: ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτε ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχὴν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄῤῥενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ἢ ὑπὸ τῶν τοῦ παρανόμων, ἢ ὑπ' ἀνάγκης, ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς. Isaeus de hered. Menecl.: καί μοι τὸν νόμον ἀνάγνωθι, ὃς κελεύει τὰ ἑαυτοῦ ἐξεῖναι διαθέσθαι, ὅπως ἂν ἐθήλῃ, ἐὰν μὴ παῖδες ἄῤῥενει ὦσι γνήσιοι· ὁ γὰρ νομοθέτης διὰ τοῦτο τὸν νόμον ἔθηκεν οὕτως κ. τ. λ. Isaeus de hered. Philoct. 124: οὑτοσὶ ὁ νόμος κοινὸς ἅπασι κεῖται, ἐξεῖ-

ναι τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι, ἐὰν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄῤῥενες· ἐὰν μὴ ἄρα μανεὶς, ἢ ὑπὸ γήρως, ἢ δι' ἄλλο τι τῶν ἐκ τῶν νόμων παρανοῶν διαθῆται. In eadem oratione 138: τοῖς γὰρ φύσει υἱέσιν αὐτοῦ οὐδεὶς οὐδὲν ἐν διαθήκῃ γράφει δόσιν οὐδεμίαν, διότι ὁ νόμος αὐτὸς ἀποδίδωσι τῷ υἱεῖ τὰ τοῦ πατρὸς, καὶ οὐδὲ διαθέσθαι ἐᾷ, ὅτῳ ἂν ὦσι παῖδες γνήσιοι. Isaeus de Astyph. 236: κωλῦσαι μὲν γὰρ οὐδεὶς ἂν αὐτὸν ἐδύνατο, ὅτῳ ἐβούλετο δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ. de hered. Aristarch. 255 et 256: ὁ γὰρ νόμος κελεύει τὰ μὲν ἑαυτοῦ διαθέσθαι ὅτῳ ἂν ἐθέλῃ, τῶν δὲ ἀλλοτρίων οὐδένα κύριον πεποίηκε. In eadem oratione 259: παιδὸς γὰρ οὐκ ἔξεστι διαθήκην γενέσθαι. Mulieres quoque a testamenti factione exclusas fuisse, jam ex supra dictis apparet, et his Isaei verbis confirmatur: ὁ γαρ νόμος διαῤῥήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνων κριθῶν. Isaeus de hered. Nicost. 76: δοῦναι μὲν γὰρ ὁ νόμος οὐδένα οὐδενὶ ἐᾷ τὰ ἑαυτοῦ, ἐὰν ὑπὸ γήρως ἢ ὑπὸ νόσου ἢ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἃ καὶ ὑμεῖς ἴστε παρανοήσῃ. κατὰ δὲ τὸ γένος καὶ τὰ τοῦ ὁπωσοῦν διακειμένου ὁ ἐγγύτατα γένους ἀναμφισβητήτως λαμβάνει. Quod attinet adoptatos, non solum inter vivos, sed etiam testamento adoptati testari non possunt. Si enim adoptati filios relinquunt, testamento non opus est, sed filii patribus succedunt; sin autem adoptati liberis orbi mortui sunt, hereditas ad eos, qui patri adoptati, minime autem qui in priore adoptati familia cognatione proximi sunt, transit. Demosth. adv. Leochar. 1100 de adoptatis uberius loquitur: δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης, οἶμαι, ὥσπερ καὶ τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων καὶ τὰς ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγύτατα γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτω καὶ τὰς κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αὐτοῖς ἀπέδωκεν· τὸ δὲ πάντων μέγιστον καὶ γνωριμώτατον ὑμῖν· ὁ γὰρ τοῦ Σόλωνος νόμος οὐδὲ διαθέσθαι τὸν ποιητὸν ἐᾷ τὰ ἐν τῷ οἴκῳ, ὅταν ποιηθῇ. εἰκότως, οἶμαι· τῷ γὰρ κατὰ νόμον εἰσποιηθέντι ἐπὶ τὰ ἑτέρου οὐχ οὕτως ὡς περὶ τῶν ἰδίων κτημάτων βουλευτέον ἐστίν, ἀλλὰ τοῖς νόμοις ἀκολούθως, περὶ ἑκάστου τῶν γεγραμμένων ὡς ὁ νόμος λέγει· ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, φησίν, ὅτε Σόλων εἰσῄει εἰς τὴν ἀρχὴν, ἐξεῖναι αὐτοῖς διαθέσθαι, ὅπως ἂν ἐθέλωσιν. τοῖς δέ γε ποιηθεῖσιν οὐκ ἐξὸν δια-

θέσθαι, ἀλλὰ ζῶντας ἐγκαταλιπόντας υἱὸν γνήσιον ἐπανιέναι, ἢ τελευτήσαντος ἀποδιδόναι τὴν κληρονομίαν τοῖς ἐξ ἀρχῆς οἰκείοις οὖσι τοῦ ποιησαμένου. Adoptatus etiam in hereditatem naturalis sui patris succedere non potnit, nisi filio in patris adoptatoris domo relicto adoptio tollebatur, et hoc modo filius in patris naturalis domum reversus erat. Hoc nos docet Isaeus de hered. Astyph. 250: οὐδεὶς γὰρ πώποτε ἐκποίητος γενόμενος ἐκληρονόμησε τοῦ οἴκου, ὅθεν ἐξεποιήθη, ἐὰν μὴ ἐπανέλθῃ κατὰ τὸν νόμον· de hered. Aristarch. 260 etc. E materna stirpe adoptatus nunquam excidebat, sed maternae stirpis hereditates eodem, quo ante adoptionem jure adeptus est. Isaeus de hered. Apollod. 177: μητρὸς δ' οὐδείς ἐστιν ἐκποίητος, ἀλλ' ὁμοίως ὑπάρχει τὴν αὐτὴν εἶναι μητέρα, κἂν ἐν τῷ πατρῴῳ μένῃ τις οἴκῳ, κἂν ἐκποιηθείη.

De iis, quae adoptatus aut in patris adoptivi domum attulerat, aut postea acquisiverat, adoptatum eodem modo, quo in jure Romano filium in patria potestate de peculio castrensi, testari potuisse, et per se intelligitur.

Si quis, cui filii erant, testamentum fecit, tunc demum valet, si filii patre vivo mortui erant. Hoc nos docet Demosth. adv. Steph. 1136: σκέψασθε δὴ καὶ τόνδε τὸν νόμον, ὃς κελεύει τὴν διαθήκην, ἣν ἂν παίδων ὄντων γνησίων ὁ πατὴρ διαθῆται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ παῖδες πρὶν ἡβῆσαι, κυρίαν εἶναι. ΝΟΜΟΣ. Ὅτι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διαθῆται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς πρὶν ἐπὶ διέτες ἡβᾶν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι. Meierus et Schoemannus (in libro, der Attische Process) ex Isaei de Aristarchi hereditate oratione concludunt, ne tunc quidem, si filii mortui fuissent, patris testamentum valuisse; huic autem sententiae et Demosthenis locum modo citatum opponere possumus, et quod illam Isaei orationem attinet, id tantum orator dicit, cui filii sint testamentum condere non licere.

Filia superstite pater testari potuit, ita autem ut filiam cum hereditate heredi testamento daret, ut legimus in Isaeo de hered. Pyrrh. 43: οὔτε γὰρ διαθέσθαι, οὔτε δοῦναι οὐδενὶ οὐδὲν ἔξεστι τῶν ἑαυτοῦ ἄνευ τῶν θυγατέρων, ἐάν τις

καταλιπὼν γνησίας τελευτᾷ. In eadem oratione 58: οὐκοῦν μετα τῶν θυγατέρων ἔστι δοῦνα καὶ διαθέσθαι τὰ αὐτοῦ.

Supra jam diximus civibus ποιητοῖς testamentum facere non licuisse, quod ita explicandum est: hi sane heredem bonorum suorum constituere possunt, sed testamentum in proprio sensu hoc non erat, quia, ut infra videbimus, heres ex testamento in omnia defuncti jura civilia succedebat, de quibus autem in cive, cujus pater civis nondum erat, sermo esse nequit. Si igitur cives ποιητοί testamenti factione jam carebant, eo magis iis, qui statum libertatis aut civitatis amiserant, hoc jus deest. In hoc loco etiam, qui maxima infamia affecti erant, ponendi sunt, minime autem, ut Platnerus (in libro Attischer Process) contra Bunsenium demonstravit media infamia affecti, qui quum bona non admitterent, suo arbitrio etiam heredem destinare poterant. Neque iis, qui civitati gestorum magistratuum rationes reddendas debebat, testamentum scribere poterat, ut apud Aeschinem in Ctesiph. legimus: πάλιν ὑπεύθυνον οὐκ ἐᾷ τὴ οὐσίαν καθιεροῦν οὐδὲ ἀνάθημα ἀναθεῖναι οὐδ' ἐκποίητον γενέσθαι οὐδὲ διαθέσθαι τὰ ἑαυτοῦ οὐδ' ἄλλα πολλὰ κ. τ. λ. Hoc autem minime propterea fiebat, quia talis media infamia affectus erat, ut Bunsenius putat, sed quia res ejus aerario publico, tanquam pignori oppositae erant.

II. Quid ad testamenti factionem requiritur,
b) quod attinet formam.

Quum nunc, quemadmodum testamenta ordinentur, exquirendum sit, reminiscamur, quod jam in initio hujus partis diximus, heredis institutionem ex testamento nihil aliud esse, ac adoptionem. Inde sequitur, testatori, si quem post mortem suam in bona sua filii nomine succedere sibi vellet, hoc negotium aut coram iisdem testibus, qui ad adoptionem vocabantur, id est coram cognatis et phratoribus peragendum, aut testamentum jam

peractum iisque communicatum eorum subscriptione confirmandum fuisse. Quae sententia Isaei verbis de hered. Astyph. 237 inest: οὐ γὰρ ἡγοῦμαί ἔγωγε οὐδένα υἱὸν ἑαυτῷ ποιούμενον τολμῆσαι ἄλλους τινὰς παρακαλέσαι ἢ τούτους, οὕσπερ καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων κοινωνοὺς ἀνθ' αὐτοῦ εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον ἔμελλε καταλιπεῖν. Coram testibus testamenta perscribi solitum esse, praeterea ex plurimis locis intelligitur, verbi causa ex Isaeo de Astyph. hered. 234: εἰ μὴ ἄνευ τῶν οἰκείων τῶν ἑαυτοῦ τὰς διαθήκας ποιοῖτο, ἀλλὰ πρῶτον μὲν συγγενεῖς παρακαλέσας, ἔπειτα δὲ φράτορας καὶ δημότας, ἔπειτα τῶν ἄλλων ἐπιτηδείων ὅσους δύναιτο πλείστους. Jam in initio ex ingenio vitaque Graecorum concludebamus, testamenti factionem in jure Attico non tam multis formulis et regulis quam in jure Romano implicitum fuisse, et hanc opinionem exemplis quoque demonstrare possumus. Sic ad testamenta facienda testes advocatos esse, non legem constituere possumus, qua omnia testamenta facienda fuissent. In Isaeo enim de Astyph. hered. 236 legimus: ἔτι δ' εἰ μὲν ὁ Ἀστύφιλος μηδένα ἐβούλετο εἰδέναι, ὅτι τὸν Κλέωνος υἱὸν ἐποιεῖτο, μηδ' ὅτι διαθήκας καταλίποι, εἰκὸς ἦν μηδὲ ἄλλον μηδένα ἐγγεγράφθαι ἐν τῷ γραμματείῳ μάρτυρα. Attamen puto, testamenta sine testibus facta rara fuisse, quum tale testamentum ab Atheniensibus tam litigiosis sine dubio semper improbaretur.

Testes, quid in testamento scriptum esset, certiores fieri poterant, aut non. Quod intelligimus ex Demosth. adv. Spud. 1032: ἀλλ' οὐ δήπου καὶ τοὺς μάρτυρας ἔπεισα, ὦ Σπουδία, ψευδῆ μοι μαρτυρεῖν τοὺς παραγενομένους ὅτ' ἐνεγύα μοι . . τοὺς τὸ τελευταῖον ταῖς διαθήκαις παραγενομένους . . . ὅτι γὰρ Πολύευκτος διετίθετο ταῦτα, παρῆν μὲν ἡ τούτου γυνὴ καὶ δῆλον ὅτι τὰς τοῦ πατρὸς διαθήκας ἀπήγγειλεν, ἄλλως τε κ. τ. λ., ex Isaeo de hereditate Nicostr. 75: καὶ τῶν διατιθεμένων οἱ πολλοὶ οὐδὲ λέγουσι τοῖς παραγενομένοις ὅ,τι διατίθενται, ἀλλ' αὐτοῦ μόνου τοῦ καταλιπεῖν διαθήκας μάρτυρας παρίστανται. Ex Demosth. adv. Steph. B. 1137: τούτου γὰρ ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατίθενται. Testium numerus

constitui non potest; non enim lege pendebat, sed penes testatorem erat, aut minorem aut majorem testium numerum advocare, quum testamentum aut majorem aut minorem fidem postularet. Archon quoque interdum testamentis condendis interfuisse videtur, ut legimus in Isaeo de hered. Cleonym. 9. Si quis rempublicam heredem instituebat, id in populi concione fiebat, quae concio tum testamenti testis erat.

Si testator testamentum composuerat, testes nomina et sub testamentum et in tergo testamenti ab testatore signati adscribebant. Bunsenius putat, testes semper nomina in tergo testamenti adscripsisse; huic sententiae autem locus apud Isaeum de hered. Astyph. 236 contradicit: εἰκὸς ἦν μηδὲ ἄλλον μηδένα ἐγγεγράφθαι ἐν τῷ γραμματείῳ μάρτυρα, quo loco orator sine dubio de testamento loquitur, in quo testium nomina sub testatoris nomine posita erant. Testamentum nunc finitum testatoris annulo obsignabatur (Isaeus Apoll. 160) quod maximum in toto actu habebatur; ut enim testamentum exstaret, testatoris obsignatione demonstrabatur. Sigillum in capsula conservatum esse videtur, ut in Aristoph. Vesp. 585 legimus:

κἂν ἀποθνήσκων ὁ πατὴρ τῷ δῷ καταλείπων παῖδ' ἐπίκληρον,
κλάειν ἡμεῖς μακρὰ τὴν κεφαλὴν εἰπόντες τῇ διαθήκῃ
καὶ τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισιν ἐπούσῃ,
ἔδομεν ταύτην, ὅστις ἂν ἡμᾶς ἀντιβολήσας ἀναπείσῃ.

Scholiastes huic loco addit:
ὡς κόγχας ἐπιτιθέντων ταῖς σφραγῖσιν ἀσφαλείας ἕνεκα.

Testamenta ipsa nobis exstant ex Demosthene adv. Steph. A. 1110; ac quidem ad verbum descripta ex Diogene Laertio. Paene omnia in initio declarant sequentia testamento constitutum esse, ut legimus in Demosth. l. c.: τάδε διέθετο Πασίων Ἀχαρνεύς. In tergo testamentum testatoris nomine designatum erat, verbi gratia in Demosth. l. c. 1106: γραμματεῖον ἔχειν, ἐφ' ᾧ γεγράφθαι, διαθήκη

Πασίωνος. In fine testamentorum interdum dirae imprecationes inscriptae fuisse videntur, ut docet Demosth. pro Phorm. 960: *ἀλλ' ἐναντία τῇ διαθήκῃ καὶ ταῖς ἀπ' ἐκείνης ἀραῖς γραφείσαις ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐλαύνεις, διώκεις συκοφαντεῖς.*

Ex arbitrio testantis, non lege pendebat, plura tabularum exempla conficienda curare. Demosthenis locus in Steph. B. 1137: *διαθηκῶν οὐδεὶς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο, ἀλλὰ συγγραφῶν μέν, ἵνα εἰδῶσι καὶ μὴ παραβαίνωσι, διαθηκῶν δὲ οὔ· τούτου γὰρ ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατίθενται·* nostrae opinioni, quae cum Isaeo de hered. Apollod. 160, omnino consentit, non contradicit; Demosthenes enim in hoc loco sine dubio dicere vult, exempla non ita facienda esse, ut testatoris adhuc vivi voluntas ab omnibus cognoscatur. Expressis verbis in Theophrasti testamento plura exemplaria ab ipso testatore confecta memorantur, quorum ultimum praeterea coram aliis testibus confectum erat. Testamentum obsignatum uni testium tradi poterat, apud quem deponeretur, vel amico et propinquo fido, ut nos docet Isaeus de Philoct. hered. 123: *καὶ τὴν διαθήκην κατέθετο παρὰ τῷ κηδεστῇ Χαιρέᾳ, τῷ τὴν ἑτέραν αὐτοῦ ἀδελφὴν ἔχοντι·* de Astyph. hered. 232: *ὁ δὲ υἱὸς αὐτοῦ ποιηθείη ὑπὸ Ἀστυφίλου καὶ τούτων διαθήκας καταλίποι παρὰ Ἱεροκλεῖ κ. τ. λ.* Saepe quoque testamenta aedilibus, arbitris publicis aliisque magistratibus tradebantur. Isaeus de her. Cleonym. 9. —

Quae Bunsenius de ordine testamenti fabulat, plane superfluum habeo, quum haec omnia in cujusque arbitrio posita, nequaquam autem lege constituta sint.

Testamentum, quo heredi conditiones, quae extra ejus potestatem erant, positae erant, non valuisse, omnino clarum est.

Quin testamenta in jure Attico mutari tollique potuerint, nemo dubitabit, et duo quoque exempla in orationibus nobis exstant; quorum alterum in Isaei oratione de Cleonymi, alterum in oratione de Philoctemonis hereditate reperitur, ac quidem ex illa oratione apparere

videtur, testamentum tollere in testantis arbitrio positum fuisse; ex hoc vero omnino contrarium nobis occurrit, testatori enim, orator exprimere videtur, ad testamentum tollendum adoptatorum consensum opus fuisse. Bunsenius hanc discrepantiam eo removere studet, quod in oratione de Cleonym. hered. de legatis tantum, non de heredis institutione loquatur. Hoc autem in hac oratione nusquam reperitur, sed in ambabus orationibus de heredibus sermo est. Haec discrepantia optime conjungi possunt, si statuimus, testatorem testamentum tollere potuisse non solum heredibus, qui praeterea sine *dubio* saepissime se esse heredes nesciebant, nescientibus, sed etiam heredibus de hac re certioribus factis, *minime* autem heredibus consentientibus; nam hoc posito, testatorem paene nunquam testamentum tollere potuisse, intelligetur. Quis enim cogitari potest, qui exhereditationi suae assentiatur? Si pater liberos suos legitimos exheredes scribere potuit non exspectans eorum assensum, quem illi sine dubio recusavissent, cur ipsi permissum non fuisset, ut etiam alios, ut libuisset, exheredes scriberet?

De heredibus instituendis.

Quae personae heredes institui possint, si quaerimus, jam ex adhuc dictis apparebit, omnes, quibus ex legibus hereditatem adire licebat, qui adoptari poterant. Civem igitur talem esse oportet. Etiam feminas adoptari heredesque scribi potuisse constat ex Isaeo de Hag. hered. 274; τὰ ὄντα κατέλιπεν, ἀλλ' ἐποιήσατο θυγατέρα αὑτοῦ ἀδελφιδῆν, καὶ ταῦτ' ἐν διαθήκαις ἐνέγραψε.

Num patri licuisse, filios et naturales et adoptivos exheredes scribere, ex oratoribus quidem non constat; hanc autem potestatem patri fuisse jam propterea puto, quia jus eos abdicandi habebat. Quomodo nunc haec

exhereditatio fieret, utrum testamento opposita, an propriis documentis a defuncto relinquenda fuisset, hoc sane dicere non possumus, quum ne unus quidem locus de hac re certiores nos faciat. In Isaeo de Nicostr. hered. 77, legimus: ἤδη γάρ τινες οὐκ εὖ διακείμενοι τοῖς συγγενέσιν ὀθνείους φίλους τῶν πάνυ σφόδρα προσηκόντων περὶ πλείονος ἐποιήσαντο, quibus ex verbis magnum arbitrium, quo testator uti poterat, satis elucere videtur.

De legatis.

Nunc quasi appendix de legatis nonnulla dicenda sunt. Hanc doctrinam, quam Romani munifici perfectissime, ut constat, pertractabant, in jure Attico non valde viguisse, jam ex eo apparet, quia in lingua vocabulum deest, quod idem ac legatum significet. Hanc partem a jure Attico neglectam esse, accuratissime cum idea principali, quae totum jus hereditarium Atheniensium implet, cohaeret; Graeci enim id respiciebant, ne domus orba fieret, ut ipsorum persona continuaretur, proptereaque hereditatem legatis, ut ita dicam, non lacerabant, sed iis, quos ut familiam continuarent, destinaverant, omnem hereditatem relinquebant. Attamen interdum legata commemorantur. Quicunque testari poterat, ei aliis quaedam legare permissum esse videtur. Etiam mulieres et impuberes, quibus testamentum facere non licet, tutore vel domino consentiente, de iis, quae a patre vel aliis dono acceperint, legare poterant. Hoc Demosthenes nos docet in oratione adv. Phorm. 949: ὡς δ' ἐτελεύτησεν ἐκείνη, τρισχιλίας ἐγκαλέσας ἀργυρίου δραχμὰς, πρὸς αἷς ἔδωκεν ἐκείνη δισχιλίαις τοῖς τούτου παιδίοις καὶ χιτωνίσκον τινὰ καὶ θεράπαιναν ἐσυκοφάντει κ. τ. λ.

Quod attinet formam, qua legata scribi poterant, hoc singulorum arbitrio permissum esse videtur; in Isaeo enim de hered. Cleonym. legimus, legata et in testamento

ipso et in tabulis propriis scripta esse. Legati exemplum est in Demosthenis oratione in Aphob. A. In oratione quoque in Steph. B. 1110 testamentum legatis exornatum reperimus.

Si nunc quaerimus, qui legatarii institui possint, hic non eandem legis severitatem quam in herede instituendo vidimus, reperimus. Demosthenis adv. Callipum oratio nos docet, etiam extra civitatem Atticam legata venisse. Ante omnia id legatum recitare debemus, quod filio natu maximo extra hereditatis partem, quae in eum cadebat, a patre dari poterat. Exemplum exstat in Demosth. pro Phorm. 955: ὅταν μὲν τοίνυν τὴν διαθήκην ἀρνῆται, ἐκ τίνος τρόπου πρεσβεῖα λαβὼν τὴν συνοικίαν κατὰ τὴν διαθήκην ἔχει, τοῦτ' ἐρώτατε αὐτόν. Hoc legatum πρεσβεῖα appellatur.

Ita ut testator legata scriberet, etiam lege constitutum esse poterat. Lex enim nothis pecuniae quandam partem dari jubet; quae lex ex scholiastis afferenda est. Scholiastes enim ad Aristoph. Av. 1663 dicit: νόμος ἦν Ἀθηναίοις, γνησίας μὲν οὔσης θυγατρὸς, νόθου δὲ υἱοῦ, μὴ κληρονομεῖν τὸν νόθον τὰ πατρῷα . . . νόμος δ' ἦν ἀττικὸς τοῖς νόθοις μέχρι πέντε μνῶν καταλιμπάνειν. Suidas v. ἐπίκληρος: ἐπειδὴ δ' οὐκ ἐξῆν τοῖς νόθοις κληρονονομεῖν, τἀργύριον διὰ χειρὸς ἐδίδοσαν. νόμος δ' ἦν ἀττικὸς τοῖς νόθοις μέχρι πέντε μνῶν καταλιμπάνειν. Hoc legatum νοθεῖα appellabatur. Harpocration s. v. νοθεῖα: τὰ τοῖς νόθοις ἐκ τῶν πατρῴων διδόμενα οὕτω καλεῖται· ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν. Hoc legatum certam summam excedere non potuisse, ex adhuc dictis intelligitur; de legati magnitudine autem, omnibus tantopere inter se discrepantibus, nihil certi constitui posse videtur.

Quum hoc modo et successionem ab intestato, et successionem, quae testamento nititur, separate pertractaverimus, quomodo inter se cohaereant, ostendere nunc restat. Successio enim ex testamento nequaquam illam ab intestato excludit, ita ut hac sublata illa non inire possit; sed in jure Attico omnino contrarium juris Ro-

mani principium constituere possumus: Aliquis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest. In partem igitur hereditatis, de qua testamentum exstat, heres in eo nominatus succedere potest; cetera autem secundum successionem ab intestato dividuntur. Exemplum nobis exstat in Isaeo de hered. Dicaeog. 90 seqq. —

De Hereditate.

Hic ante omnia quaerendum est, quid hereditate contineatur, quid ad heredem transire possit. Tria sunt, quae heres, quum hereditate contineantur, suscipere debet:

1) Ad heredem transeunt omnino omnes defuncti immobiles et mobiles res una cum filiis hereditariis, et hae quidem masculis tantum heredibus.

2) Heredibus hereditate officium defuncto τὰ νομιζόμενα praebendi injunctum est.

3) Ad heredes transit defuncti status civilis.

Haec igitur maximi momenti capita hoc ordine exponere nunc studebimus.

I.

Heredes accipiebant defuncti bona mobilia ut integram pecuniam, et immobilia, maxime fundi a majoribus accepti cum servis, quibus omnibus heredis cum defuncti familia conjunctio patefieret. In pecuniam tantum aliquem adoptatum esse, neque exemplum exstat, neque adhuc dictis exstare potest. Quae defunctus aliis legasset, ab herede instituto solvenda erant. Hereditati quoque annumerantur, et cum ceteris defuncti rebus transeunt filiae hereditariae, ἐπίκληροι (quod jam nomine continetur), de quibus nunc latius loquendum erit. Omnes leges, quas περὶ ἐπικλήρων afferemus, Solonis esse, ex Plutarcho sequitur. (Solon. c. 20): ἄτοπος γε καί γε γελοῖος δοκεῖ ὁ τῇ ἐπικλήρῳ διδοὺς, ἂν ὁ κρατῶν καὶ κύριος γεγονὼς κατὰ τὸν νόμον αὐτὸς μὴ δυνατὸς ᾖ πλησιάζειν ὑπὸ τῶν ἔγγιστα τοῦ ἀνδρὸς κ. τ. λ. Hereditaria appellatur quaecunque fratribus legitimis est orba, ipso etiam patre vivo. Isaeus de hered. Philoct. 147: οὐ γὰρ δήπου, γνησίου ὄντος υἱέος Εὐκτήμονι, ἐπίκληρος ἂν εἴη ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ, οὐδὲ ὁ κλῆρος ἐπίδικος. Harpocration h. v. ἐπίκληρος μὲν ἐστιν ἡ ἐπὶ παντὶ τῷ κλήρῳ ὀφρανὴ καταλελειμένη, μὴ ὄντος αὐτῇ ἀδελφοῦ.

Ante omnia nunc discernendum videtur, num his filiabus res fuerit, annon. Si nunc filiae res erat, ejusque pater testamentum non fecerat, genere proximus jus eam elocandi habebat. Hi genere proximi autem sunt pater vel frater, vel avus paternus, ut legimus in Demosth. in Steph. B. 1134: Σκέψασθε τοίνυν καὶ τοὺς νόμους, παρ' ὧν κελεύουσι τὰς ἐγγύας ποιεῖσθαι . . . λέγε. ΝΟΜΟΣ. ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους· ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρό τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι.

Si autem nemo horum, neque pater neque frater, neque avus paternus exstat, tunc filia ἐπίκληρος sensu proprio habebatur. Demosth. l. c. ὁπότε τοίνυν μηδεὶς φαίνεται ζῶν τούτων, τότε ἀνάγκη ἐπίκληρον τὴν μητέρα ἡμῶν εἶναι. Nunc autem filia hereditaria ei addicitur, qui hereditatem (κλῆρον) accipit; hanc legem ex permultis orationibus discimus, verbi gratia in Isaeo de hered. Pyrrh. 61 et 62: δῆλον μὲν γὰρ, ὅτι ἐπίκληρον μὲν καταλιπὼν ἀκριβῶς ἂν ᾔδει, ὅτι δυοῖν θάτερον ἔμελλεν ὑπάρχειν αὐτῇ· ἢ γὰρ ἡμῶν τινα τῶν ἐγγύτατα γένους ἐπιδικασάμενον ἕξειν γυναῖκα, ἤ, εἰ μηδεὶς ἡμῶν ἐβούλετο λαμβάνειν, τῶν θείων τινὰ τούτων τῶν μαρτυρούντων, εἰ δὲ μή, τῶν ἄλλων τινὰ συγγενῶν τὸν αὐτὸν τρόπον περὶ πάσης τῆς οὐσίας ἐπιδικασάμενον κατὰ τοὺς νόμους ἕξειν ταύτην γυναῖκα. Isaeus de Aristarch. hered. 257: προσῆκον αὐτῇ μετὰ τῶν χρημάτων τῷ ἐγγυτάτω γένους συνοικεῖν. Filiae, quas pater elocaverat, nisi patre mortuo earum fratres exstabant, ut maritos desererent, et hereditatis possessori nuberent, cogi poterant, ut discimus ex Isaeo de Pyrrh. hered. 54 seq. ἔτι δ' ἂν πρότερον Ξενοκλέους οἱ τοῦ Πύρρου θεῖοι, εἰ ᾔδεσαν γνησίαν θυγατέρα τῷ ἑαυτῶν ἀδελφιδῷ καταλειπομένην, καὶ ἡμῶν μηδένα λαμβάνειν ἐθέλοντα αὐτὴν (sc. τῶν υἱῶν εἰςποιηθέντων) οὐκ ἄν ποτε ἐπέτρεψαν Ξενοκλέα, τὸν μηδαμόθεν μηδὲν γένει προσήκοντα Πύρρῳ, λαβόντα ἔχειν τὴν κατὰ γένος προσήκουσαν αὐτοῖς γυναῖκα, ἢ δεινὸν γ' ἂν εἴη· τὰς μὲν ὑπὸ τῶν πατέρων ἐκδοθείσας καὶ συνοικούσας ἀνδράσι γυναῖκας, περὶ ὧν τίς ἂν ἄμεινον ἢ ὁ πατὴρ βουλεύσαιτο, καὶ

ipso et in tabulis propriis scripta esse. Legati exemplum est in Demosthenis oratione in Aphob. A. In oratione quoque in Steph. B. 1110 testamentum legatis exornatum reperimus.

Si nunc quaerimus, qui legatarii institui possint, hic non eandem legis severitatem quam in herede instituendo vidimus, reperimus. Demosthenis adv. Callipum oratio nos docet, etiam extra civitatem Atticam legata venisse. Ante omnia id legatum recitare debemus, quod filio natu maximo extra hereditatis partem, quae in eum cadebat, a patre dari poterat. Exemplum exstat in Demosth. pro Phorm. 955: ὅταν μὲν τοίνυν τὴν διαθήκην ἀρνῆται, ἐκ τίνος τρόπου πρεσβεῖα λαβὼν τὴν συνοικίαν κατὰ τὴν διαθήκην ἔχει, τοῦτ' ἐρώτατε αὐτόν. Hoc legatum πρεσβεῖα appellatur.

Ita ut testator legata scriberet, etiam lege constitutum esse poterat. Lex enim nothis pecuniae quandam partem dari jubet; quae lex ex scholiastis afferenda est. Scholiastes enim ad Aristoph. Av. 1663 dicit: νόμος ἦν Ἀθηναίοις, γνησίας μὲν οὔσης θυγατρὸς, νόθου δὲ υἱοῦ, μὴ κληρονομεῖν τὸν νόθον τὰ πατρῷα . . . νόμος δ' ἦν ἀττικὸς τοῖς νόθοις μέχρι πέντε μνῶν καταλιμπάνειν. Suidas v. ἐπίκληρος: ἐπειδὴ δ' οὐκ ἐξῆν τοῖς νόθοις κληρονονομεῖν, τἀργύριον διὰ χειρὸς ἐδίδοσαν. νόμος δ' ἦν ἀττικὸς τοῖς νόθοις μέχρι πέντε μνῶν καταλιμπάνειν. Hoc legatum νοθεῖα appellabatur. Harpocration s. v. νοθεῖα: τὰ τοῖς νόθοις ἐκ τῶν πατρῴων διδόμενα οὕτω καλεῖται· ἦν δὲ μέχρι χιλίων δραχμῶν. Hoc legatum certam summam excedere non potuisse, ex adhuc dictis intelligitur; de legati magnitudine autem, omnibus tantopere inter se discrepantibus, nihil certi constitui posse videtur.

Quum hoc modo et successionem ab intestato, et successionem, quae testamento nititur, separate pertractaverimus, quomodo inter se cohaereant, ostendere nunc restat. Successio enim ex testamento nequaquam illam ab intestato excludit, ita ut hac sublata illa non inire possit; sed in jure Attico omnino contrarium juris Ro-

mani principium constituere possumus: Aliquis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest. In partem igitur hereditatis, de qua testamentum exstat, heres in eo nominatus succedere potest; cetera autem secundum successionem ab intestato dividuntur. Exemplum nobis exstat in Isaeo de hered. Dicaeog. 90 seqq. —

ρους ἐκδιδόναι. Talis filia θῆσσα vocabatur, ut legimus in Harpocr. s. v. θῆτες: ὁ μέντοι Δημοσθένης ἐν τοῖς προκειμένοις ἐπίκληρον ὠνόμασε τὴν πενιχρὰν κόρην, ἣν θῆσσαν ὀνομάζουσιν οἱ Ἀττικοί. Suidas v. θῆσσα: ἐπίκληρος οὐκ ἔχουσα φερνὴν πενίχρα καταλειφθεῖσα ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὑπὸ δὲ τῶν ἀγχιστέων προικιζομένη κατὰ τὸν νόμον τῶν πεντακοσίων δραχμῶν. Pollux III. 33. ἡ μέντοι κλῆρον οὐκ ἔχουσα πατρῷον θῆσσα καλεῖται, ἣν ὁ ἀγχιστεὺς ἐκδίδωσιν, ἂν ἑτέρᾳ συνοικεῖ ἢ πάντως γαμεῖ.

Dotem, si femina liberis non relictis mortua erat, ad eum rediisse, qui eam dederat, per se clarum est; nunquam enim mariti heredes erant, sed liberi, et si hi non exstabant, feminae propinqui. Hoc etiam ex Isaei verbis in oratione de hered. Pyrrh. 40 et 41: οὗτος τοίνυν τῷ ἡμετέρῳ θείῳ ἄπροικον τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτοῦ μεμαρτύρηκεν ἐγγυῆσαι· καὶ ταῦτα, τῆς προικὸς εἰς αὐτὸν γινομένης, εἴ τι ἔπαθεν ἡ γυνὴ πρὶν γενέσθαι παῖδας αὐτῇ· et ex multis aliis oratorum locis intelligi potest.

In lege supra citata (Macart. 1067 et 1068) diserte quoque expressum est, genere proximum, ut filiam pauperem aut in matrimonium duceret, aut elocaret, ab Archonte cogi potuisse, qui et ipse, si genere proximum non cogebat, magna poena afficiebatur, et civium quemvis hoc delictum denuntiare potuisse. Idem ab Isaeo in oratione de Pyrrh. hered. 44 et 45 dictum est. Ex alio Isaei loco de hered. Pyrrh. 53 intelligimus, si quis filiarum hereditariarum jura violasset, talem non actione privata (δίκῃ), sed actione publica (γραφῇ) in jus ad Archontem vocatum esse.

II.

Heredibus, quibus hereditas aut ab intestato aut ex testamento defertur, hac hereditate officium defuncto τὰ νομιζόμενα praebendi, injunctum est, id est, heredes defunctum sepelire debebant Omnino fieri non potest, quemque heredem esse, qui hoc officium exsecutus non esset. τὰ νομιζόμενα perficere et hereditatis adeundae jus

acquirere pro uno eodemque habebatur. Isaeus de Cir. hered. 211: σοὶ δὲ τί προσήκει θάπτειν;

Hoc a Solone ita institutum esse, discimus ex Demosthene adv. Macart. 1071: ἔτι δὲ σαφέστερον γνώσεσθε καὶ ἐκ τοῦδε τοῦ νόμου ὅτι Σόλων ὁ νομοθέτης σπουδάζει περὶ τοὺς οἰκείους . . . λέγε τὸν νόμον. ΝΟΜΟΣ. τὸν ἀποθανόντα προτίθεσθαι ἔνδον, ὅπως ἂν βούληται· ἐκφέρειν δὲ τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ ᾗ ἂν προθῶνται, πρὶν ἥλιον ἐξέχειν· βαδίζειν δὲ τοὺς ἄνδρας πρόσθεν, ὅταν ἐκφέρωνται, τὰς δὲ γυναῖκας ὄπισθεν· γυναῖκα δὲ μὴ ἐξεῖναι εἰσιέναι εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος μηδ' ἀκολουθεῖν ἀποθανόντι, ὅταν εἰς τὰ σήματα ἄγηται, ἐντὸς ἑξήκοντ' ἐτῶν γεγονυῖαν, πλὴν ὅσαι ἐντὸς ἀνεψιαδῶν εἰσί· μηδ' εἰς τὰ τοῦ ἀποθανόντος εἰσιέναι, ἐπειδὰν ἐξενεχθῇ ὁ νέκυς, γυναῖκα μηδεμίαν πλὴν ὅσαι ἐντος ἀνεψιαδῶν εἰσίν. Haec lex praeterea in Demosth. oratione ad Leochar. 1090 reperitur. Eandem legem Isaeus recitat, quum in oratione de hered. Cleonym. 7. dicit: ἡγεῖτο γὰρ δεινὸν εἶναι τὸν ἔχθιστον τῶν οἰκείων ἐπίτροπον καὶ κύριον τῶν αὐτοῦ καταλιπεῖν καὶ ποιεῖν αὐτῷ τὰ νομιζόμενα τοῦτον, ἕως ἡμεῖς ἡβήσαιμεν κ. τ. λ. Ex Isaeo de hered. Philoct. 148: πρότερον δεῖ τὸν ἐκ ταύτης τῶν Φιλοκτήμονος εἶναι κληρονόμον καὶ ἐπὶ τὰ μνήματα ἰέναι χεόμενον καὶ ἐναγιοῦντα, κ. τ. λ. aliisque oratorum locis intelligimus, τὰ νομιζόμενα humatione et sacris cum humatione conjunctis non finiri, sed etiam, ut omnia familiae sacra, verbi gratia inferias defuncto singulis annis instituendas perficeret, heredem obligatum fuisse, quod cuique perspicuum erit; nam heres in defuncti familiam adoptatur, ideoque omnia officia, quae familiae membris sunt, exsequi debet. Propterea talis etiam alium, qui mortuum sepelire conaretur, impedire ac depellere poterat, ut Isaeus nos docet de Cir. hered. 212: καί τοι καὶ τούτῳ προσῆκεν, εἰ μὴ πάππος ἦν μοι Κίρων, ὤθειν, ἐκβάλλειν καὶ κωλύειν συνθάπτειν.

Senes alere heredum fuisse, et maxime eorum, qui filias pauperes in matrimonium duxerant, discimus ex Isaeo de Cleonym. hered.: καὶ εἰ μὲν Πολύαρχος ὁ πατὴρ Κλεωνύμου, πάππος δ' ἡμέτερος, ζῶν ἐτύγχανε καὶ τῶν ἐπιτηδείων

ἐνδεὴς ὤν, ἢ Κλεώνυμος ἐτελεύτησεν θυγατέρας ἀπορουμένας καταλιπὼν, ἡμεῖς ἂν διὰ τὴν ἀγχιστείαν καὶ τὸν πάππον γηροτροφεῖν ἠναγκαζόμεθα καὶ τὰς Κλεωνύμου θυγατέρας ἢ λαβεῖν αὐτοὶ γυναῖκας ἢ προῖκα ἐκδιδόντες ἑτέροις ἐκδιδόναι.

Ad τὰ νομιζόμενα quoque pertinebat heredum officium caedis ulciscendae et expiandae, quam legem reperimus in Demosth. adv. Macart. 1068 et 69: ΝΟΜΟΙ· προειπεῖν τῷ κτείναντι ἐν ἀγορᾷ ἐντὸς ἀνεψιότητος καὶ ἀνεψιοῦ, συνδιώκειν δὲ καὶ ἀνεψιῶν παῖδας καὶ γαμβροὺς καὶ ἀνεψιοὺς καὶ πενθεροὺς καὶ ἀνεψιαδοῦς καὶ φράτορας· ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱεῖς, πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν· ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς (ἢ οἱ ἐφέται) ἄκοντα κτεῖναι, αἰδεσάσθων οἱ φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα· τούτους δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρείσθων· καὶ οἱ πρότερον κτείναντες ἐν τῷδε τῷ θεσμῷ ἐνεχέσθων· τοὺς δ' ἀπογιγνομένους ἐν τοῖς δήμοις, οὓς ἂν μηδεὶς ἀναιρῆται, ἐπαγγελλέτω ὁ δήμαρχος τοῖς προσήκουσιν ἀναιρεῖν καὶ θάπτειν καὶ καθαίρειν τὸν δῆμον τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ἂν ἀπογένηται ἕκαστος αὐτῶν· ἐπαγγέλλειν δὲ περὶ μὲν τῶν δούλων τῷ δεσπότῃ, περὶ δὲ τῶν ἐλευθέρων τοῖς τὰ χρήματα ἔχουσιν· ἐὰν δὲ μὴ ᾖ χρήματα τῷ ἀποθανόντι, τοῖς προσήκουσι τοῦ ἀποθανόντος ἐπαγγέλλειν· ἐὰν δὲ τοῦ δημάρχου ἐπαγγείλαντος μὴ ἀναιρῶνται οἱ προσήκοντες, ὁ μὲν δήμαρχος ἀπομισθωσάτω ἀνελεῖν καὶ καταθάψαι καὶ καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθημερὸν, ὅπως ἂν δύνωνται ὀλιγίστου· ἐὰν δὲ μὴ ἀπομισθώσῃ, ὀφειλέτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ· ὅτι δ' ἂν ἀναλώσῃ διπλάσιον πραξάσθω παρὰ τῶν ὀφειλόντων. ἐὰν δὲ μὴ πράξῃ, αὐτὸς ὀφειλέτω τοῖς δημόταις· τοὺς δὲ μὴ ἀποδιδόντας τὰς μισθώσεις τῶν τεμενῶν τῶν τῆς θεοῦ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν καὶ τῶν ἐπωνύμων ἀτίμους εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ γένος καὶ κληρονόμους τοὺς τούτων, ἕως ἂν ἀποδῶσιν. Qua lege etiam apparet, hoc caedis ulciscendae officium certum quendam finem habuisse, et non omnes heredes hac lege astrictos fuisse; minime autem his verbis concludi posse, successionem ab intestato certis terminis fuisse circumscriptam, jam supra demonstravimus. Huc quoque pertinent Pollucis verba VIII. 118: φόνου δὲ ἐξῆν ἐπεξιέναι μέχρις ἀνεψιῶν (Petitus ἀνεψιαδῶν.)

III.

Ad omnes heredes transit defuncti status civilis; ad eos enim, ut in jure Romano, non solum actiones activae, sed etiam actiones passivae transeunt. Heres igitur defuncti debitorem eodem modo in jus vocare poterat, quo defuncti creditores heredem actione persequi poterant. Hoc et per se clarum est, quum hereditas nihil aliud sit, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit, et praeterea multis oratorum locis confirmatur, verbi gratia in Demosth. adv. Lacrit. 924 in Isaeo de Arist. hered. 264, de Cleonym. hered. 3. etc. Non solum autem privati juris actiones in heredem ceciderunt, sed causarum publicarum etiam accusationes, et ἀτιμίο, si is, qui obierat, civitatis debitor erat. Huc pertinet locus in Demosth. adv. Macart. 1069: ἀτίμους εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ γένος καὶ κληρονόμους τοὺς τούτων, ἕως ἂν ἀποδῶσιν. In Neaer. 1347: ἵνα ἀτιμώσωμεν αὐτὸν καὶ παῖδας καὶ τοὺς ἐκείνου καὶ τὴν ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν. Heredem debita, quae mortuus contraxerit, solvere debuisse, intelligitur ex Demosth. adv. Lacrit. 939. In heredem δίκην βλάβης, quae actio in factum est, institui potuisse, ex adhuc dictis intelligetur. Platnerus (in libro: Attischer Process) putat, actiones personales, quas defunctus habuisset, eodem modo, quo in jure Romano, tunc tantum in heredem transiisse, si ille vivus jam instituisset; cum eo consentio, quum haec opinio loco apud Isaeum de hered. Hag. 282 inprimis confirmatur; in quo orator, haec lege destinata esse exprimere videtur.

Quum nunc de successione ab intestato, de successione, quae testamento nititur, et de omnibus, quae hereditate ad heredes transeunt, locuti simus; quomodo hereditatem heredes adire possint, et de actionibus hereditariis pauca nos exponere restat.

De hereditate acquirenda et de actionibus hereditariis.

In hac ultima parte ante omnia distiguendum mihi videtur, utrum liberi legitimi exstent necne. Primum nunc constituendum est, quomodo liberi legitimi hereditatem a patre ipsis sine testamento, ut supra jam dictum est, relictam adepti sint. Liberi non solum naturales, sed etiam inter vivos adoptati hereditatem sine ulla rogatione adibant, per embateusin: ipso jure rerum possessionem acquirebant (βαδίζουσιν εἰς τὰ πατρῷα). Demosth. in Leochar. 1086: καὶ ἐνεβάτευσεν οὕτως εἰς τὴν οὐσίαν ὡς ὑπ' ἐκείνου ζῶντος ἔτι εἰσποιηθείς. Isaeus de hered. Astyph. 231, de hered. Pyrrh. 51, Bekkeri Anecdot. I. 183, 26: ἀνεπίδικα, ὅσα τις κατέχει τοῦ τετελευτηκότος, ὡς πατρῷα καὶ παππῷα· τὰ γὰρ δικαζόμενα παρὰ τῶν συγγενῶν ἐπίδικα καλοῦσιν. Quod quominus facerent, si ab aliquo vi impediebantur, actionem ἐξούλης in hunc instituebant, et si legitimus heres pupillus vel mulier erat, gravissima actione publica (εἰσαγγελίᾳ κακώσεως) apud Archontem ille peti poterat. Uti nunc ipso jure filii parentum hereditatem non adjudicatam adeunt, et vi expulsi gravissima actione publica in adversarium invehunt, ita, quicunque apud Archontem talem hereditatem controversam declaraverat, διαμαρτυρίᾳ (id est, exceptione testibus confirmata, hereditatem liberis defuncti exstantibus, controversam non esse μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον) ab iis removeri, omnisque disquisitio tolli poterat. Tali διαμαρτυρίᾳ, verbi gratia Androcles in initio Isaei orationis de hered. Philoct. usus est. Liberorum hereditatem impugnari non posse, omnes orationes, quae de litibus hereditariis nobis exstant, probant. Praecipue hoc intelligitur ex Isaeo de hered. Pyrrh. 52: καίτοι (ὅπερ εἶπον καὶ πρότερον) ὅσοι μὲν καταλίπωσι γνησίους παῖδας ἐξ αὑτῶν, οὐ προσήκει τοῖς παισὶν ἐπιδικάσασθαι τῶν πατρῴων κ. τ. λ. Hag. 289. Philoct. 126 et 127. Filiabus ea-

rum κύριος (Isaeus de hered. Pyrrh. 43), pupillis tutor διαμαρτυρίαν instituebat. Ut supra jam diximus, non solum liberi naturales, sed etiam inter vivos adoptati diamartyria utebantur; nam inter vivos adoptatos, qui jam dudum omnibus ceteris filii naturalis juribus fruebantur, hoc quoque habuisse necesse est. Quod autem attinet testamento adoptatos, Bunsenius iis jus diamartyriae instituendae dat, et hanc esse causam, inquit, infinitae actionum hereditariarum Athenis copiae. Meier et Schocmannus (in libro: der attische Process) fatentur, se hoc nescire. Locus in Isaeo de hered. Pyrrh. 53: τὰς ἐπιδικασίας οἱ εἰσποίητοι πάντες ποιοῦνται, ab adversariis negatur, et sine dubio ad testamento adoptatos referendus est. Locus apud Demosth. 1086 supra jam laudatus expresse demonstrat, inter vivos adoptatum diamartyriam instituere potuisse. Inter vivos adoptatus Apollodori filius in Isaeo de hered. Apollod. 161 dicit, se diamartyriam instituere posse. Maximum autem argumentum, inter vivos adoptatos diamartyria usos esse, ex Isaeo de hered. Pyrrh. 52 afferre possumus, quo loco orator dicit: ὅσοι δὲ διαθήκαις αὐτοὶ εἰσποιοῦνται, τούτοις ἐπιδικάζεσθαι προσήκει τῶν δοθέντων. Ex quibus multisque aliis locis perspicuum est, inter vivos adoptatum cum filiis naturalibus diamartyria usum esse. Etiamsi haec ab oratoribus non tam clare expressa essent, tamen, ut omnia inter se colligata videantur, haec dicere jam coacti essemus. Nam inter vivos adoptatus, ut supra jam dictum est, filius ejus, qui eum adoptavit, ab omnibus agnoscitur; ideoque omnibus juribus filiis concessis uti potest, testamento autem adoptatum esse, nihil aliud est, ac heredem institutum esse, et hoc modo in jure Attico dici potest, aliquem esse in certam hereditatis partem adoptatum, ut verbi gratia in Isaeo de hered. Dicaeog. 90 legimus: ἐπὶ μὲν τῷ τρίτῳ μέρει τοῦ κλήρου Δικαιογένης ὅδε τῷ Μενεξένου Δικαιογένει, ἡμετέρῳ δὲ θείῳ υἱὸς ἐγένετο ποιητός. Si igitur testamento adoptatis diamartyriam concederemus, tunc omnes here-

des diamartyriam instituere possent, quod sine dubio absurdum videtur. Huc accedit, testamentum, quo quis adoptatus sit, falsum esse posse; probatum igitur non est, num hic filius sit, necne. Quomodo nunc hic, qui testibus demum demonstrare debet, testamentum non falsum esse, filii juribus uti potest? Tunc demum talis testatoris filius est, si testamentum certum probatum, et hoc modo adoptatus εἰς τὰ κοινὰ γραματεῖα etc. inscriptus est. Nunc ab omnibus testatoris filius agnoscetur, et nemo tunc dicere audebit, talem hereditatem ἐπίδικον esse. Isaeus ipse in initio orationis de hered. Apollod. hanc magnam differentiam inter adoptionem inter vivos et testamento, et testamento adoptatum in controversiam vocari posse, claris verbis exponit, si dicit: ᾤμην μὲν, ὦ ἄνδρες, προσήκειν οὐ τὰς τοιαύτας ἀμφισβητεῖσθαι ποιήσεις, εἴ τις αὐτὸς ζῶν καὶ εὖ φρονῶν ἐποιήσατο, καὶ ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἀγαγὼν εἰς τοὺς συγγενεῖς ἀπέδειξε, καὶ εἰς τὰ κοινὰ γραμματεῖα ἐνέγρηψεν, ἅπανθ', ὅσα προσήκεν, αὐτὸς ποιήσας· ἀλλ' εἴ τις τελευτήσειν μέλλων διέθετο, εἴ τι πάθοι, τὴν οὐσίαν ἑτέρῳ· καὶ ταύτην γράμμασι κατέθετο παρά τισι σημηνάμενος κ. τ. λ. Quum diamartyria exceptio sit, μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, ex permultis autem oratorum locis omnem hereditatem testamento relictam controversam esse constet, etiam hoc modo demonstrasse putamus, testamento adoptatum nequaquam diamartyriam instituere potuisse.

Isaeus de hered. Cir. 218 indicat, etiam nepotes et omnino descendentes diamartyriam instituere potuisse: πάντες γὰρ ὑμεῖς τῶν πατρῴων, τῶν παππῴων, τῶν ἔτι περαιτέρω κληρονομεῖτε, ἐκ γένους παρειληφότες τὴν ἀγχιστείαν ἀνεπίδικον. Etiam locus supra jam citatus ex Bekkeri anecd. I. 183, 26 hoc indicat. — Hoc omnino recte se habet, et tunc viguisse videtur, si quis intestatus et sine liberis et naturalibus et inter vivos adoptatis mortuus est. Hoc enim posito descendentes secundum ordinem successionis ab intestato liberorum loco in hereditatem succedebant.

Jam ex significatione verbi „διαμαρτυρία" sequitur,

argumentum ea confirmatum (μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον) contra omnes adversarios et praesentes et futuros directum esse. Quomodo in diamartyria ageretur, et quid efficeret, Harpocration optime nos instruit, praetereaque in Meiero et Schoemanno (Att. Process) haec quaestio longe lateque tractatur, ita ut, quum ceteroquin fines a nobis propositas haec excedant, ad hunc librum delegare possimus.

Nunc in secunda parte videndum erit, quomodo ceteri heredes liberis et descendentibus non exstantibus hereditatem adepti sint.

Ceteris heredibus seu testamento seu cognatione hereditatis adipiscendae jus sibi datum arbitrantes, embateusis non sufficiebat, sed rogationem ad Archontem ferrent oportebat. Haec rogatio, quam ferendi quicunque Atheniensium, nisi filii legitimi aderant, potestatem habebat (Isaeus Phil. 121) λῆξις nominabatur, et eam ferre λῆξιν λαγχάνειν τοῦ κλήρου, τοῦ ἡμικληρίου etc., ideoque patrimonium ipsum λῆξις nominabatur, ut Pollux dicit VIII. 104: ἡ δὲ πατρῴα οὐσία καὶ λῆξις ἐκαλεῖτο. Pari modo oratores ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου, τῷ κλήρῳ, nonnunquam τὸν κλῆρον et pro λῆξις verbo ἐπιδικασία utuntur.

Hanc ἐπιδικασίαν ad Archontem aut Polemarchum pertinuisse, docet Demosth. in Steph. B. 1135: τὸν τοίνυν νόμον ἐπὶ τούτοις ἀνάγνωθι κ. τ. λ. Quo facto Archon rogationem in tabula magistratus (σανὶς, λεύκωμα) scriptam exponendam et in sequente publica populi concione per praeconem proclamandum hoc curavit: εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται τοῦ κλήρου ἢ κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκας. Qua proclamatione facta quicunque velit, controversa hereditas aut quaedam ejus pars ut sibi detur postulare poterat. Si tempore certo praeterlapso nunc nemo novam rogationem attulerat, hereditas ab Archonte ei adjudicabatur, qui illam primam rogationem tulerat ἐπεδίκασεν ὁ ἄρχων τὸν κλῆρον τινί.)

Sin autem plures illa praeconis proclamatione facta se profitebantur, tunc lis hereditaria initium cepit. Priusquam autem de tractanda hac lite continuamus, inprimis differentia inter ἀμφισβητεῖν et παρακαταβάλλειν constituenda nobis erit.

Jam ex illa praeconis proclamatione (ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν) sequi videtur, aliquam differentiam inter haec actionis genera esse oportere, et hoc modo sine dubio opinionem Heffteri (in libro: Athenaeische Gerichtsverfassung) et Caroli de Boor, ἀμφισβητεῖν et παρακαταβάλλειν synonyma esse, refutare possumus. Ante omnia nunc definiendum nobis est: quid est παρακαταβολή, quid est ἀμφισβήτησις? Nam omnes nobis concedent, substantiva in eodem sensu, quo verba, collocata fuisse.

Παρακαταβολή omnibus consentientibus ea litis forma est, qua hic, qui rogationem apud Archontem attulerat, decimam controversae hereditatis partem in judicio deponit, quae, si male rem gessit, poena victori solvere coactus est. Quae poena paracataboliae etiam intendi poterat, ut ex Isaeo de hered. Nicost. 73 intelligimus: ἐχρῆν μὲν οὖν, ὦ ἄνδρες, ὅστις κατὰ δόσιν χρημάτων ἀμφισβητῶν ἡττηθείη, μὴ κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι, ἀλλ' ἐφ' ὅσαπερ λήψόμενος ἦει, τοσαῦτα τῇ πόλει ἀποτίνειν; ubi verbis κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι paracatabolia designatur. Victus igitur hic non solum paracataboliam solvere, sed etiam totam hereditatem civitati compensare debet.

Nunc quaeritur, quomodo ἀμφισβήτησις differat. Platnerum (att. Process) sequentes definitionem hoc modo constituere possumus· ἀμφισβήτησις est ea forma, qua quis simpliciter hereditatem rogatione saepe jam memorata apud Archontem postulat. Hoc modo paracatabolia semper ἀμφισβήτησιν continet, nunquam autem ἀμφισβήτησις παρακαταβολήν· paracatabolia forma gravior est, ἀμφισβήτησις levior. Hoc modo, credo, omnia a grammaticis prorsus perturbata simpliciter explicanda sunt.

Nunc ut reliqua deinceps persequamur, quaeri debet in quibus actionibus παρακαταβολή, in quibus ἀμφισβήτησις adhibenda sit. Hoc autem clarius intelligi potest, si nunc in explicatione litis hereditariae continuamus.

Jam supra diximus, si plures proclamatione facta se profitebantur, tunc litem hereditariam initium cepisse. Archon nunc, quo jure singuli in hereditate adjudicanda nitantur, perquirit, et diem certam statuit. Quo temporis spatio, si quis competitorum alium argumenta graviora habere reperiebat, de petitione sua, antequam lis propria incipiebat, desistere poterat. Et ex Demosthene et ex Isaeo exempla, competitores desistere potuisse, nobis exstant. Quo tempore praeterlapso actio ipsa ab eo, cui libuerit contra jus ab alio allatum intenditur, qui eam huic opponit. Archon nunc inter eos et eorum causas, quae ἀντιγραφαί nominabantur, disceptabat, et haec actio διαδικασία erat, quum litigasset, quis inter omnes hereditatem adipisceretur. Demosth. adv. Leoch, 1082: ἔστι γὰρ ὁ μὲν ἀγὼν οὑτοσὶ κλήρου διαδικασία· ἀμφισβητεῖται δὲ παρὰ μὲν ἡμῶν κατὰ γένος ἡ ἀγχιστεία, παρὰ δὲ τούτων κατὰ ποίησιν. Haec diadicasia nunc hoc modo ad finem perducta est: Testibus examinatis, ceterisque, quae ad probandum allata erant, perquisitis (ἀνακρίνειν), Archon aut totam causam arbitro committere, aut in judicium (ut Bunsenius putat Heliastarum, quod oratorum aetate summa auctoritate fruebatur) introducere poterat. Si causa omnibus consentientibus arbitris tradita erat, conventu componebatur; sin autem in judicium introducta erat, orationibus habitis suffragia a juratis judicibus feruntur, et etiam hoc momento, antequam suffragia numerata erant, (Isaeus Dicaeog. 98. 99) partes conventu litem componere poterant, numeratis autem suffragiis Archon hereditatem victori adjudicavit. Haec finis διαδικασίας erat. Nunc videamus, quomodo in hoc litis genere competitores et amphisbitisi et paracatabolia uti possint.

Ex multis oratorum locis patet, hereditate contro-

versa, nemini adhuc adjudicata, competitores aut amphisbitisin aut paracataboliam instituere potuisse. Quamquam hoc jam illa praeconis proclamatione luce clarius videtur, tamen neminem Platnero (Att. Process) excepto hanc sententiam secutum esse invenimus. Sententiis nunc aliorum hac de re scriptorum a nobis refutatis infra nostram multis argumentis confirmatam explicabimus.

Harpocrationis sententiam s. v. ἀμφισβητεῖν: οἱ τὸν κλῆρον ἐπιδικαζόμενοι ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν λέγονται, οἱ μὲν φάσκοντες ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον ὡς ὄντος παιδὸς τῷ τετελευτηκότι ἢ γόνῳ ἢ ποιήσει, οἱ δὲ ὡς ἄπαιδος τελευτήσαντος δικαιότερον λέγοντες ἔχειν αὐτοὺς τὸν κλῆρον τοῦ λαβόντος, ἢ συγγενεῖς ὄντες ἢ κατὰ διαθήκας κληρονόμοι· quam Meierus et Schoemannus (Att. Process) sequuntur, ex Demosthene ipso quem Harpocration auctorem sententiae suae citat, refutare possumus. Nam in Demosth. adv. Leochar. 1090, 1092, 1096 Leostratus ὡς υἱὸς παρακαταβάλλει; idem exemplum ex Isaeo de hered. Philoct. 126 citare possumus. De Pollucis VIII, 32, sententia eadem dicenda sunt. Non minus Bunsenius, ut in multis aliis, etiam in his erravit. Dicit enim in hereditate nondum adjudicata amphisbitisin, in adjudicata paracataboliam adhibendam fuisse. Concedimus, legem, de qua infra agemus, adesse, qua praescribitur, hereditate jam adjudicata, paracataboliam adhibendam esse. Ex hac autem lege nunquam concludi potest, hereditate nondum adjudicata paracataboliam adhibendam non esse, quod et illi Demosthenis orationi, in qua hereditas nondum adjudicata est, et praecipue praeconis proclamationi, quae hoc posito insania esset, repugnaret. Caroli de Boor sententia, qui, ut supra jam diximus, amphisbitisin et paracataboliam substantiva synonyma putat, et in omnibus actionibus adhibita esse dicit, jam ex adhuc de hac re dictis refutatur.

Ad nostram nunc sententiam revertamur, quam jam Platnerus, ut supra diximus, ex parte prolocutus est.

Amphisbitisin nunc hereditate nondum adjudicata ad-

hiberi potuisse, argumentis demonstrare plane superfluum puto, quum et haec paene in omni pagina in orationibus exstantibus nobis occurant, et ab omnibus de hac re scriptoribus confirmentur. Quod autem attinet ad paracataboliam locos supra jam memoratos ex Demosth. adv. Leochar. 1090, 1092, 1096 citare possumus, quibus continuantur ex Isaeo de hered. Nicostr. 70, 73, multosque alios, quos ut recitem supervacaneum atque inutile puto.

Si nunc exquirere studemus, cur paracatabolia in jus inducta sit, puto, legislatorem eam habuisse remedium, quo lites hereditariae, quas Atheniensibus tam litigiosis quam multas fuisse constat, imminui possent; quum in judicio victus eam perderet, et tam gravis poenae timore omnes deterrerentur, ne lites temerarias inirent. Propterea de eo, qui paracataboliam adhibebat, supponebatur, ipsum certum et grave jus hereditatis habere, et omnes competitores coacti erant, ut aut paracataboliam solverent, aut ab hereditate desisterent. Quum enim nemo competitorum jus suum adhuc declarasset, paracataboliam non solvere juri hereditario alicujus paene omnem fidem abrogare necesse erat. Quomodo etiam explicari potest, quod in Isaeo de hered. Philoct. 126 legimus, etiam in diamartyria nonnunquam paracataboliam adhibitam esse. Magnam copiam actionum hereditariarum hoc modo paracatabolia imminutam esse, et hunc finem habuisse paracataboliam, et jam nunc perspicuum esse puto, et infra, si de actionibus hereditate jam adjudicata loquimur, ad evidentiam demonstrari potest.

Deinceps de hereditate jam adjudicata dicendum est. Etiamsi hereditas alicui ab Archonte adjudicata esset, tamen postea suam esse hereditatem quivis contendere poterat, et hoc modo actio redintegrabatur; ac quidem plurimae orationum hereditariarum litem hereditatis ab Archonte jam adjudicatae pertractant. Expressis verbis Demosth. adv. Macart. 1054 hanc legem recitat: καὶ μοι ἀνά-

γνωθι τὸν νόμον, καθ᾽ ὃν ἡ πρόσκλησις ἐστι παρὰ τοῦ ἔχοντος τὸν κλῆρον. ΝΟΜΟΣ· ἐὰν δ᾽ ἐπιδεδικασμένου ἀμφισβητῇ τοῦ κλήρου ἢ τῆς ἐπικλήρου, προσκαλείσθω τὸν ἐπιδεδικασμένον πρὸς τὸν ἄρχοντα, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων δικῶν· παρακαταβολὰς δ᾽ εἶναι τῷ ἀμφισβητοῦντι· ἐὰν δὲ μὴ προσκαλεσάμενος ἐπιδικάσηται, ἀτελὴς ἔσται ἡ ἐπιδικασία τοῦ κλήρου· ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτά, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ· τὴν δ᾽ ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἄρχοντι, καθότι ἐπεδικάσατο οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα. Eadem lege nititur, quod Isaeus de hered. Hag. 283 dicit: *πότερα δ᾽ οὐκ ἦν μοι λαχεῖν, εἰ μὴ πείσαιμι τούτους; ἀλλ᾽ ὁ νόμος τῷ βουλομένῳ δίδωσι τὴν ἐξουσίαν, ὥστε τοῦτο οὐκ ἦν αὐτοῖς εἰπεῖν.* Isaeus de hered. Philoct. 421. Pollux VIII. 62.

Qua in actione nunc paracataboliam semper solvendam fuisse videmus, quod optime sententia nostra congruit; si enim paracatabolia ad actiones hereditarias imminuendas destinata fuisse videtur, nunc lege jussa esse debet. Civitas hoc modo prohibuit, ne civium possessio temere perturbaretur; nunc igitur petitor rem exploratam haberet necesse erat. Ceteroquin actio paene eadem est, ut in actione de hereditate nondum adjudicata. Eadem quoque nomina reperimus, ut *λαγχάνειν τοῦ κλήρου*, *διαδικασία κλήρου* etc. Praeconis proclamatio nusquam memoratur, cujus loco *πρόσκλησις* possessoris constituta est, quae in priore lite eadem praeconis proclamatione compensatur.

Non solum alius, sed etiam idem, qui in priore lite, antequam hereditas adjudicata erat, victus erat, contra possessorem hereditatis iterum litem intendere potuit, si aliam causam habebat, qua jus suum confirmaret. Hefflerus (Att. Gerichtsverfassung) dicit, eundem petitorem ex eadem causa iterum litem intendere potuisse, quae sententia autem Demosthenis oratione adv. Macart., quam ipse pro sua sententia recitat, refutatur; in hac enim oratione, ut jam Carolus de Boor demonstravit, semper aliam causam petitor, si jam victus iterum litem incipit, adhibere studet. Praeterea haec juridica abnormitas ac-

tionum hereditariarum infinitam seriem redderet, propterea eaque jam refutanda videtur. Plures personas alium post alium ex eadem causa, si priores victi sunt, hereditatem sibi vindicare posse, omnino perspicuum videtur, ita ut res commentatione non egeat. In fine Demosth. legis (Macart. 1054, 1055) justum dogma proclamatur: τὴν δὲ ἀμφισβήτησιν εἶναι τῷ ἔχοντι, (hanc enim Bunsenii emendationem sequor pro ἄρχοντι, quod nullum sensum praebet) καθότι ἐπεδικάσατο, οὗ ἂν ἔχῃ τὰ χρήματα, id est, ab eo, qui herede, cui hereditas adjudicata erat, mortuo, hereditatem nunc possidet, ea eodem modo peti potest, quo mortuus in jus vocari potuisset, quod et ad quantitatem hereditatis et ad causam, qua ille mortuus hereditatem accipiebat, pertinet. Heres, ut Boor jam demonstravit, eodem modo judicandus est, quo mortuus ille, cui hereditas principio adjudicata erat, qui adhuc vivus cogitatur.

Claris verbis etiam haec Demosth. lex permittit: Quamdiu vivit, cui hereditas adjudicata est, hereditatis vindicandae actio institui potest; ab hujus herede autem certa annorum serie, infra quam eadem actio in eum institui potest, praeterlapsa, hereditas usucapitur. Tempus autem hujus praescriptionis quinque annis post mortem primi heredis est, ut legimus in Isaeo de Pyrrh. hered. 51: ὁ δὲ νόμος πέντε ἐτῶν κελεύει δικάσασθαι τοῦ κλήρου ἐπειδὰν τελευτήσῃ ὁ κληρονόμος. Tempus hujus praescriptionis a morte primi heredis numerari, hoc loco omnino clarum videtur. Attamen Plattnerus (Att. Process) opinionem attulit, hoc tempus a morte testatoris numerandum esse, et contra hunc de hereditate controversiam non nisi intra quinquennium ab ejus morte, qui illam reliquisset, moveri potuisse. Ut hanc opinionem suam persequi posset, illa Isaei verba, quae sibi adversari sentiret, corrigere coactus erat, quam infeliciter autem haec cesserit, jam Schoemannus (in editione sua Isaei orationum) demonstravit. Plattnerum tunc etiam non satis per-

spicua esse Demosth. legis verba: ἐὰν δὲ μὴ ζῇ ὁ ἐπιδικασάμενος τοῦ κλήρου, προσκαλείσθω κατὰ ταὐτά, ᾧ ἡ προθεσμία μήπω ἐξήκῃ, quae, ut puto, planissima, videntur, fateri oportuisse, facile intelligi potest. Tum, ut Schoemannus exposuit, etiam Isaei oratio de hereditate Aristarchi Platneri opinioni adversatur, quae etiam remotis his omnibus multam iniquitatem provocaret.

Filias hereditarias litigiosas et non litigiosas eodem modo, quo hereditatem litigiosam et non litigiosam tractatas esse, et ex eo, quod in prioribus de iis dictum est, apparet, et etiam nunc longa exemplorum e orationibus sumptorum serie demonstrari posset.

Quod attinet ad tempus, quo causae hereditariae in judicium afferi poterant, lege constitutum erat, hoc per totum annum licere excepto tantum Scirrhophonione mense ut legimus in Demosth in Steph. B. 1136: κληροῦν δὲ τῶν κλήρων καὶ ἐπικλήρων, ὅσοι εἰσὶ μῆνες πλὴν τοῦ Σκιροφοριῶνος, ἀνεπίδικον δὲ κλῆρον μὴ ἔχειν.

Restat denique de contractibus eorum, qui hereditatem petebant, de sitularum numero et de temporis spatio oratoribus in judicio concesso pauca a nobis explicari.

Constat, si plures hereditatem petierunt, antequam hereditas ab Archonte adjudicabatur, inter se contractus hos facere potuisse, quos contractus autem ii tantum facere poterant, quorum petitiones non conveniebant. Inter se constituebant, victorem victo hereditatis partem concessurum esse, de quibus optime nos instruit Isaeus de hered. Hagn. 281: τῇ μὲν γὰρ Εὐβουλίδου θυγατρὶ καὶ τῇ Ἁγνίου μητρὶ πρὸς ἡμᾶς ἀγωνιζομέναις, μὴ κατὰ ταὐτὸ ἀμφισβητούσαις, ἐνῆν ποιήσασθαι συνθήκας, ἂν ἡ ἑτέρα νικᾷ, μετεῖναί τι καὶ τῇ ἡττηθείσῃ· καδίσκος γὰρ ἔμελλεν ἑκατέρᾳ τεθήσεσθαι. Eos, qui eodem propinquitatis gradu erant, inter se contractus facere, lege interdictum est, quam Isaeus in eadem oratione 281 recitat: τὸ δ' ἡμέτερον οὐ τοιοῦτον ἦν, ἀλλ' ἓν τὸ γένος, δύο δὲ λήξεις ἡμικληρίου ἑκατέρῳ· τοῖς δὲ κατὰ ταὐτὰ ἀμφισβητοῦσιν εἷς τίθεται καδίσκος, οὐ. οὐκ ἂν ἦν τὸν μὲν ἡττᾶσθαι, τὸν

δὲ νικᾷν, ἀλλ' ὁμοίως ἀμφοτέροις ἦν ὁ αὐτὸς κίνδυνος, ὥστ' οὐκ ἐνῆν κοινωνίαν οὐδὲ διομολογίαν ποιήσασθαι περὶ αὐτῶν. His igitur unam λῆξιν totius hereditatis λαγχάνειν permissum erat, sed sine ullo contractu quisque λῆξιν pro parte sua λαγχάνειν debebat.

De sitularum numero rem in pauca conferre possumus; locis enim modo citatis omnino perspicuum esse videtur, tot situlas in judicio semper fuisse, quot partes, quarum petitiones collidebant. Locis supra memoratis addere possumus ex Isaeo Hagn. 282, et ex Demosth. adv. Macart. 1053.

Temporis spatium oratoribus in lite hereditaria concessum, ut in omnibus actionibus forensibus aquae copia clepsydrae infusa destinatum est. Legimus igitur in Demosth. adv. Macart. 1052: καὶ ἐπειδὴ ἦγεν ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον καὶ ἔδει ἀγωνίζεσθαι, τά τε ἄλλα ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κατεσκευασμένα εἰς τὸν ἀγῶνα, καὶ τὸ ὕδωρ, πρὸς ὃ ἔδει ἀγωνίζεσθαι, τετραπλάσιον ἡμῶν ἔλαβον· ἐξ ἀνάγκης γὰρ ἦν τῷ ἄρχοντι ἀμφορέα ἑκάστῳ ἐγχέαι τῶν ἀμφισβητούντων, καὶ τρεῖς χόας τῷ ὑστέρῳ λόγῳ. Meier et Schoemannus (Att. Process), ex hoc loco sequi, hanc mensuram omnibus litibus hereditariis commune fuisse, putant. Hoc modo ab archonte priori orationi ἀμφορεὺς cuique parti, et tres χοῖς, id est, dimidium ἀμφορέως posteriori orationi destinatum fuisse censent. Carolus autem de Boor jam demonstravit, hanc mensuram non omnibus litibus hereditariis, quae saepissimè tam graves erant, tantisque ambagibus agebantur, communem esse potuisse. Boor igitur proposuit, verba ἐξ ἀνάγκης γὰρ ἦν τῷ ἄρχοντι, minime ad ἀμφορέα ἐγχέαι, sed ad ἑκάστῳ τῶν ἀμφισβητούντων referenda esse, ita ut his verbis exprimeretur, cuique litigantium eandem temporis mensuram concedendam esse, quod etiam verbis ante dictis: καὶ τὸ ὕδωρ, πρὸς ὃ ἔδει ἀγωνίζεσθαι, τετραπλάσιον ἡμῶν ἔλαβον, majorem auctoritatem adipisci videtur. Posteriori orationi temporis dimidium datum fuisse, lege expressum esse puto, quamquam mea quidem opinione ἐξ ἀνάγκης in hoc

loco ad τρεῖς χόας pertinere non potest. Hoc modo Archon temporis spatium prioris orationis constituendi potestatem habuisse videtur.

Acquisita hereditate, si plures essent heredes, partitio instituebatur. Ante partitionem autem liberi commentarium bonorum omnium conficere solebant, ut legimus in Demosthene pro Phorm. — Patrem vivum saepe talem partitionem jam fecisse, ex Demosth. orat. adv. Macart. 1055 intelligimus. Haec omnia autem non lege jussa, sed ut multa alia in jure Romano accuratissime constituta, in cujusque arbitrio posita erant.

Si nunc extremum illud quaerimus, num heredibus ab hereditate abstinere permissum fuerit necne, in hunc modum ad talem quaestionem respondere possumus: Heres testamento institutus, quum defunctus voluntate ipsa filium talem declaravisset, nunquam ab hereditate abstinere potuit; si enim hoc heredi testamento instituto licuisset, fundamentum totius juris hereditarii, quod in eo positum est, ut defuncti domus conservetur, subduceremus. Ceteros heredes, nisi sese jam immiscuerunt, se heredes esse nolle, declarare potuisse, ex Demosthene adv. Lacrit. 924 seqni videtur. Hereditas tunc, puto, proximo. qui secundum successionem ab intestato heres est, defertur; attamen hoc quoque privilegium his heredibus sine dubio adimebatur, si defunctus quid reipublicae debuerat; nam haec semper ab heredibus suscipienda fuisse, constat, et nemo heredum huic officio deesse potuisse, jam ex eo apparet, quia, si prior heres ab hereditate abstinere potuisset, hoc sequenti iniquissimum fuisset.